6
11-a
15

F4 D 2

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
6
9 D
24

Digitized by Google

K III a 43

Digitized by Google

# J. BURCH. MENCKENII
# DE
# CHARLATANERIA
# ERUDITORUM
## DECLAMATIONES DUÆ

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

CUM

NOTIS VARIORUM.

*ACCESSIT EPISTOLA*

SEBASTIANI STADELLI

*AD*

JANUM PHILOMUSUM

DE CIRCUMFORANEA LITERATORUM VANITATE.

*EDITIO SEXTA.*

NEAPOLI MDCCLXXXVI.

*Apud Petrum Perger.*

EXPENSIS JOSEPHI DE LIETO

*Superiorum permissu.*

D.PROB.ROM.S.J.

76

PHÆDRUS L. III FAB. ÆSOP.

*Suspicione si quis errabit sua ,*
*Et rapiat ad se , quod est commune*
*omnium ,*
*Stulte nudabit animi conscientiam:*
*Huic excusatum me velim nihilominus:*
*Neque enim notare singulos mens est*
*mihi ,*
*Verum ipsam vitam et mores hominum*
*ostendere .*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*nisi enim solidiora, quaeque praeter ipsam sapientiam bono publico factam, nihil amplius redoleant, grata sunt Tibi, cetera levioris momenti, quae homini, ac Civi nihil quicquam conferre valeant, adspernanti. Sane nihil praeterea odisti magis, quam* Charlataneriam; *ejusque fautores, quorum populus, ut ita dicam, est in litteraria Rep. ingentissimus, magnopere irrides et insectaris. Videris enim (ita semper caute loqueris, et presse) Pythagoraeorum castra secutus: qui silentio potius ac taciturnitate, quam fucatis sermonibus et ad fastidium usque non sine tumore expressis,* τῃ ψευδοσοφια *bellum indixerant quam acerrimum. Quamobrem attente mihi cogitanti, ac diligenter etiam perpendenti studia tua, videris nihil jam inde ab adolescentia studuisse magis, quam ut Sophistarum, qui omnium maxime* Charlataneriam *crepant, ingenium, subtilitates, dicendi genus tumidum at jejunum, cetera vitia, quibus illi, corrupta jam eloquentia, insignes fuere, abs Te arceres quam longissime. Te ita jam bene institutum*

*li-*

*licuit quotidie mihi suspicere et bene cogitantem, et rectius etiam loquentem: licuit audisse eleganti gravique stilo, cui nihil deerat nativae venustatis, impeditiora negotia paucis, at non sine attico sale, explicantem: licuit saepius admirari, quod in scribendo numquam ordinis legibus defueris: licuit tandem Teipsum Juris Publici et Ecclesiastici, at non illius omnino exsucci, atque ut ita dicam, circumforanei, sed quod sublimior condiret philosophia, callentissimum aemulari. Quibus fit, ut nihil magis vero similius putem, quam ut Tu bono publico ac Principis natus, propediem nanciscaris Spartam multo nobiliorem. Cui itaque magis apposite* Charlataneriam *mitterem, inveni praeter Te neminem. Hic namque libellus non illam promovet, sed insectatur acerrime; quod Tibi quidem gratissimum fore certe duco. Quam vellem hanc ipsam rem curasset Menckenius stilo paullo elegantiori ac molliori; nec veneribus solum, sed salibus interdum etiam distincto! Dicendi enim genus, quod eumdem perpetuo*

*servat habitum, neutiquam ornatum, nec verbis neque sententiis; illud vero, nisi fallor, supinae potius stupiditatis, quam animi bene in literis instituti ac sapientia emolliti, exemplum mihi quidem videtur esse quam aptissimum. At modo res ipsa sit nobis curae, non stilus; quem nunc temporis extra Italiam, olim vero extra Latium et Atticam frustra quaesiveris. De Germanicis scriptoribus, quod pertinet ad latine scribendum, verum est illud;*

Est quodam prodire tenus, si non
datur ultra.

*Quid dicam vero de adnotationibus? Utinam opella haec nulla jam re magis, quam ipsarum adnotationum cumulo laboret. Ita sunt enim illae, praesertim nescio cujus Interpretis Galli, intempestiva eruditionis farragine plenae; ut jam vere heic dicas,* εργον *factum fuisse* παρεργον, *quod merito culpat Clericus, dum operosa isthaec aperte vituperat collectanea. Nullus autem interpretum stilo magis utitur inficeto ac rudiori minusque latino, quam Gallus; qui saepe verborum inanium multitudine,*

*lan-*

*languidam et hiulcam efficit orationem. Ego vero adnotatiunculas quoque, ubi e re visum est, addere non sum gravatus: quae si se Tibi probabunt, facile spero fore, ut ceterorum judicia minime reformident. Adeo mihi de summa tua in judicando* ακριβεια *est persuasum. Hanc itaque adnotationum mantissam, quae ad me attinet, ( cetera enim aliena sunt, nec amplius tueri oportet ) simulque me ipsum, res meas, mea studia modo tuere: pulcre enim novi, quam sis prae omnibus* φιλοπατρις, *cum primum per fortunam, Tuam mihi valde pretiosam amicitiam adjungere licuit. Nihil est, quod Te ingentioribus distentum negotiis amplius interpellem. Nam et Menckenii scopum, et virtutes, et vitia, et mea vota, et consilium meum satis tibi superque aperui. Vale interim, clarissime omnium* Vecchiette, *meque, quod malim, Amicorum Cultorum tuorum obsequentissimum certe habeto.*

*Dabam Neap. Postrid. Nonas Feb. Aerae Christianae MDCCLXXXVI.*

AD

AD

VIRUM INCOMPARABILEM

CHRYSOSTOMUM

# MATANASIUM

CRITICORUM h.t. PRINCIPEM.

QVoi dono lepidam novam hanc
opellam,
Nugis ψευδοσοφων ineptiisque
Conditam? Tibi, docte Matanasi,
Parens optime dulcium leporum,
Censor candide, fautor et chorage
Phoebi, qui ausus es elegante vena
Doctum doctius explicare carmen.
Quare habe tibi, quicquid hoc opellae et
Qualecunque. Quod, o benigne Lector,
Fronte suscipe, si me amas, serena.

AU-

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

## AUCTORIS PRAEFATIO.

## LECTORI SALUTEM.

CUm abhinc biennio et quod excurrit in suavissimo amicorum consortio de eruditis sermo incideret, qui varias artes atque technas, ad comparandam famam, plausūque concitandum, comminiscuntur, Vir quidam paulo amoenioris ingenii, postquam Carolum Patinum *Charlataneriam* quintam, seu potius primam constituisse Medicinae partem, narrasset, multum utique praestigiarum in universa re literaria deprehendi judicabat, dignamque rem eam arbitrabatur, quae uberiori oratione diduceretur. Itaque cum mihi mox deinde in publica Magistrorum panegyri verba facienda essent; et eo ipso

ipso tempore de jucundo themate eligendo circumspicerem, alacri animo Spartam illam in me suscepi, cumque omnia absolvi eadem oratione non possent, quae reliqua fuere, in proximam occasionem rejeci, quam nactus sum anno superiore. Itaque conflatae sunt duae Oratiunculae, altera A. 1713 d. 9 Februar. altera A. 1715 d. 14 Febr. recitata, quas ut protruderem in lucem, partim Virorum, quos veneror, autoritas, partim quorundam importunae preces perfecere: quodsi enim meo arbitrio agendum fuisset, haec sane nequaquam erant proditura; quae ne mihi quidem ipsi satisfaciunt, tantum abest, ut aliis sperem ad palatum futura. Quod vero barbaro *Charlataneriae* vocabulo inscripsi Declamationes meas, exemplo non caret, cum et alii de paedantismo seu paedanteria literaria, de galantismo item literario et similibus nonnihil fuerint commentati, et, quantum ad ipsum *Charlataneriae* vocabulum, Patinus, ut dixi, praeiverit. Latinius

uti-

utique *Circulatoriam* * dicere poteram, cum vox illa ex Hetrusco *ciarlare*, quod est circulare seu decipere, descendat, unde *Ciarlatano* seu *Cerretano*, circulator, et Gallicum *Charlatan*, quod veteres *Ciarlatan* scripsere *. Ceterum nemo me exi-

* *Charlatan* reddi Latine per *Planum* et *Circulatorem*, patet ex libello, cui tit. *Bienseance de la conversation entre les hommes*: Latine versus est hic liber per Jesuitas Mussi-Pontanos, Parisiis 1628 in 24, ubi cap. 7 Documento 34 in Ed. Gall. sic legitur: *Estans en compagnie, voire mesme de ceux de ta condition, ne fais du CHARLATAN, mais parle avec mesure etc.* Latine ita: *In communi etiam tuorum aequalium congressione ne blatera ut planus et circulator, sed loquere modeste etc.* Jam quid per *planum* boni autores intelligant, apparet ex Horatii L. 7 Ep. 17 v. 57 seq. it. Petronio c. 99 p. 418. *Unde Plani, unde levatores* etc. ubi not. Erhardini. vid. Athenaeus L. 14 c. 1 f. m. 616. A. Gellius L. 16 c. 7 p. 395. Barclajus Euphorm. p. 205 Ed. Hakiana: *Quippe nos planos et intentos in rapinam arbitrabantur*; p. 141 *quod in me, quisquis ille planus cogitasset* pag. 116 *tanquam invasores nocturni, quod majorem vim foede planorum imaginem sumunt*. Drom.

* Ita existimat Menagius *Origini della lingua Ital.* p. 170, quamvis idem non dissimulet pag. 164 *Cerretano* ab oppido Umbriae Caereto nonnullis derivari, quod *Caeretani totum orbem vano quodam ac turpi superstitionum genere ludificantes, continuo peregrinentur, familia domi relicta*. M.

existimaverit optimas scientias, in quibus ridiculum quidpiam annotavi, contemnere, nam et crisin sanam probo, historias profiteor, poesin a pueris amavi, suspicio Mathematicos acutos, peritos Medicos, JCtos prudentes, Theologos pietate et doctrina conspicuos, ac reliquos omnes, qui in ornandis bonarum artium studiis operam haud inutilem collocant. Id tantum propositum mihi fuit, ut docerem, quo fuco, quibus praestigiis nonnulli ad alliciendos incautos utantur, et quantum ubique sit in disciplinis inane. Qua in re ut antea Erasmum quoque, Agrippam, Naudaeum, Lilienthalium * aliosque laborasse constat, ita me illorum nonnunquam vestigia legisse, neutiquam diffiteor: addidi tamen non pau-

* Erasmus scil. in *encomio Moriae*, Agrippa in libris *de vanitate scientiarum*, Naudaeus in opusculo quod inscripsit *Instruction à la France sur la veritè de l'histoire des Freres de la Roze-croix*, et Mich. Lilienthalius in opusculo de *Macchiavellismo literario*. M.

pauca, et addi longe plura poterant nisi ad temporis, quod oratiunculis his destinatum erat, mensuram redigenda omnia fuissent. Adjeci ultimo loco bina Programmata, his ipsis Declamationibus publice praemissa, tum quod a re nostra non essent prorsus aliena, tum ne Typographo adversarer, qui paullum augeri libelli molem cupiebat, cujus arbitrio cetera quoque, quae ad ornatum spectare visa sunt, fuere relinquenda. His itaque, benevole Lector, utere, fruere; vale.

NO-

## NOMINA COMMENTATORUM.

| | |
|---|---|
| Char. i. e. | CHARISTIUS, i. e. *J. G. Walch.* |
| Cris. | CRISPINUS, i. e. *J. G. Krauſe.* |
| Kend. | KENDALIRIUS, i. e. *Idem.* |
| Drom. | DROMADIUS, i. e. *G. s. Wagner.* |
| Q. mar. | QUADUS MARCOMANNUS, i. e. *G. Tilgner.* |
| Them. | THEMISTIUS, i. e. *Idem* |
| Sal. | SALICETUS, i. e. *C. Schoettgen.* |
| Sam. | SAMOSCIUS, i. e. *J. J. Maſcou.* |
| Scrib. | SCRIBANIUS, i. e. *J. E. Schreeber.* |
| Ser. | SERENUS, i. e. *J. G. Rabener.* |
| Trivult. | TRIVULTIUS, i. e. *F. W. Schütze.* |
| Vand. | VANDOSALVUS al. FANDOSALVUS, i. e. *Autor.* |
| M. | MENCKENIUS, *Autor.* |
| I. Hall. | INTERPRES HALLENS, GERM. |
| I. Gall. | INTERPRES GALLUS. |
| Chrys. | MICHAEL ANGELUS CHRYSOLIUS. |

| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| Pag. 239 Poetis | Poeſis |
| Pag. 248 Inſtruiſse | inſtruxiſse |

LE-

# DECLAMATIO I.

*Magnifice Academiae RECTOR,*
*Reverendissimi Capituli Martisburgensis Legate splendididissime,*
*Spectatissime Domine Procancellarie,*
*Auditores ceteri, Viri gravissimi Juvenes optimi.*

VEtustissima inter Graecos Romanosque ac gentes alias consuetudo fuit, Auditores, ut omnium oculis repraesentarentur in theatro, quaecumque sive superiorum temporum memoria, sive praesens aetas et communis hominum vivendi ratio, laeta aut tristia, suppeditaret (1). Quae cum initio ideo in-

 sti-

(1) Plura heic circulatorum in morem effutit Menkenius

ſtituta eſſent, ut, quemadmodum ſermone et ſcriptis, ita et geſtu ipſo velut in viva quadam rerum humanarum tabula ad virtutem amplectendam

---

kenius, quae non bene ſibi conveniunt. Ne cui ergo ſit mirum, ſi a me is nunc vapulet. Profecto non omnia apud Graecos priſcis temporibus, multo minus apud Romanos, in Theatro agebantur. Theatrum quippe ſero tandem Graecia et Roma vidit, ſerius probavit, nec, niſi cum a priſca ſeveritate mores degeneraſſent. *Conſ. Liv. L.* 48 *et Vellejum Lib.* 2. *tum Valer. Maxim. L.* 2. *Cap.* 4. Et ſane priusquam in compitis, deinde in ſcenis ora fecibus peruncti agerent Comoedi; in Hiſtoria, vel in Poëmatibus heroicis praeclarae res gentium vel Heroum geſtae condebantur. Heſiodi, Homeriq. carmina jam Graeci omnes, ſicuti Herodoti et Thucididis hiſtoriam memoriter memorabant, cum Comoedia tandem in ſcenam macilenta prodiit. Romani quoque Pontificum magnos annales, Enniique Poëmata ſuſpiciebant, cum primi comoediarum quaſi parentes Romae prodierunt. Deinde ut in ſcenam ſive triſtia, ſive laetiora nonnulla acta primum ſint; fallitur tamen Menkenius dum putat, omnia quaecunque argumenta Comoediae primum ſceniſque inſerviiſſe. Anguſtis enim cancellis Comoedia finitur; culpatusque noſter Dantes, qui ſuo Poëmati *divinae Comoediae* titulum praefixit. Quare a Petro primum Bayle, poſtremis autem hiſce temporibus a Voltaerio vapulavit acerrime; licet bene vindicias Danti dixerit nuperrimus Italus ſcriptor. Legeſis hac de re epiſtolas perelegantes Vincentii Martinelli ad Comitem *Orford* in poſtrema eaq. dilucida Dantis edit. *di Livorno*. CHRYSOLIUS.

dam invitarentur mortales, successu temporis, cum lucri ingens cupiditas accessisset, ita degenerarunt, ut non aeque nunc mores populi spectent mimi et fabularum actores; verum id curent tantummodo, qua ratione risus et cachinnos strepitusque ac plausus e spectatoribus elicere, aut si tristior fuerit materia, molliores animi affectus ciere oculisque lacrymas excutere valeant (1). Cumque adeo e plausu populi de virtute ac pulcritudine dramatis judicium vulgo fieri consueverit, ita ut unius saepe vel paucorum spe-

 cta-

(1) Comoedia praesertim vetus id propterea primum instituta, ut mores civium componeret ad justitiam, ad honestatem, ad virtutem, ad religionem, linguamque regeret ad sermonem vernaculum bene addiscendum. Verum labentibus annis, eo res evasit, ut Theatra adirentur relaxandi animum ergo. Nihil praeterea spectatoribus, actoribusque propositum. Id factum certe multis de caussis; potissimum vere ex Religionis mutatione, quae in politicis quoque supra quam credi potest mutationem invexit. Mores itaque nunc comoedia non instituit: linguam non format, sed corrumpit. Quare diligentius cavendum ne Scenas adeant pueri et adolescentes. Ea civitatis bene institutae sancta lex esto. Alioquin statim evanescit omnis bene posita institutio. Chrys.

ctatorum plausus universa multitudo insano pruritu sequeretur: quidam eo processerunt, ut aere conduxerint, qui frequenter applauderent actoribus in scena, aliisque exemplo suo praeirent. Uti enim optima quandoque dramata infelicissimam experta sortem, ac quovis subsannationum genere exagitata sunt et explosa; ita non raro vidimus, vel insulsissimas fabulas suos habuisse admiratores plausoresque, ut exclamandum utique fuerit cum Horatio:

*Insanos oculos et gaudia vana!*

Rymer of Tragedy pag. 8. seq. Ecquis ineptior vel indoctior fuit Joanne de la Serre Gallo (1)? at ille quoties de Thoma Moro (2) tragoediam repraesentaret, praesente Richelio Cardinale, la-

(1) *De la Serre, Gallo.*) Fallitur Autor, ex sequenti enim adnotatione patebit, eum de Johanne Puget de la Serre mentionem injicere voluisse. I. Gall. Resp. testis adductus *Rymer*, qui eum *deserres* et non *de la Serre* nominat *Aut.*

(2) *De Thoma Moro.*) Ita inscribitur Tragoedia quaedam a Joanne de la Serre conscripta. Thomas Morus illustris admodum Sec. XVI vir, Angliae Cancellarius, capite truncabatur, quod tempori cedere, & in divortium ab Henrico VIII Angliae rege factum consentire nollet. vid. Stapleton. in Vit. Mori. I. Gall.

lacrymae huic heroi ex oculis cecidere, quasi puero. Idem vero Richelius, quanti Vir ingenii, quam acutus et perspicax! in Petri Cornelii, ingeniosissimi Poetae, tragoedia, *Le Cid* (1) dicta, quae alios omnes ita fascinabat, ut publico judicio cunctis veterum et recentiorum tragoediis longissime anteponeretur, nihil se videre fatebatur, quod magnopere placeret, autorque erat Academiae Francicae, ut tragoediam acri censurae subjiceret (2): quanquam pul-



(1) Le Cid *dicta.*) Sorellus in Biblioteca Gallica p. 206. seq. veram causam prodidit, ob quam Richelio drama illud *le Cid* dictum, minus placuerit; alterum vero, quod inscribitur *l'Amour tyrannique* ejusdem vatis, magis arriserit. SCRIB.

Adnotationis hujus Autor fallitur. Tragoedia enim *L'amour tyrannique* dicta *Scuderium* autorem agnoscit. De cetero notissimum est, hunc omnium primum contra Drama *Cid* dictum calamum strinxisse, epicrisi sua sub *observationum* nomine edita, qua r sibi ipsi satisfacere, 2 Cardinali *Richelio* placere conabatur. I. GALL.

(2) *Censurae subjiceret.*) Ferunt, Cardinalem *Richelium* indignatum esse, quod Tragoedia *le Cid* dicta omnibus, quae eo tempore prodierant, immo suis etiam dramatibus, quae fictitiis sub nominibus in scenam produci curaverat, anteponeretur, eaque propter omnem movisse lapidem, ut illa quoque Cor-

Peis-on Hiſ. de l'Acad. Franc. cre cauſam ſuam egit Cornelius (1), ſuperſedere ſe poſſe ratus apologia pro eo dra-

Cornelii fabula plauſu, quem adepta erat, deſtitueretur. Quare ex omnibus Clientibus ſuis, quorum cum in aula tum in urbe ſatis magnus erat numerus, agmen ingens formabat iis adverſum, qui drama *le Cid* calculo ſuo probabant. Academiam quoque auctoritate ſua movebat, ut rigidiori diſquiſitioni drama memoratum ſubjiceret, juſtamque ejus epicriſin conderet, nihil obſtantibus rationibus, quas ne hanc in ſe ſuſciperent operam, allegabant detrectantes id negotium Academici. Parebat tandem Academia, & per quinque menſium ſpatium cenſurae conficiendae adeo intenta erat, quaſi de ſalute reipublicae ageretur; Cardinale interim, quem difficillima tum negotia, Galliam omnemque Europam concernentia, premebant, tanto temporis ſpatio ſententiam neutiquam mutante, nec a propoſito ſuo vel minimum recedente. Hinc *Boilieau Sat. IX v; 231 ſeq.*

*En vain contre le Cid un Miniſtre ſe ligue,*
*Tout Paris a pour Chimene les yeux de Rodrigue.*
*L'Academie en corps a beau le cenſurer;*
*Le Public revolté s'obſtine à l'admirer.*

Accedit, quod non civitas tantum, verum aula quoque Chimenam illam in Dramate repraeſentatam tanti faceret, quanti Rodericus amator ejus eandem in ipſo dramate fecerat. Ortum exinde traxit proverbium: *Beau comme le Cid.* Nonnemo (*S. Evremont*, ni fallor,) dixit: pulcherrimum omnium dramatum modernorum *le Gid* eſſe, ſed & cenſuram ſive epicriſin omnium doctiſſimam non niſi eam eſſe, quae in idem Drama conſcripta eſt. I. Gall.

(1) *Cauſam ſuam egit Cornelius.*) Traditur Richelius invidia ductus, quod Cornelii Tragoedia omnibus reliquis, et inter has ſuis etiam, quas alieno ſub no-

dramate conscribenda, quod, si vel vicesies repraesentetur, vidisse neminem poeniteret. Etenim mira res est plausus, et, ut in dramate persistamus, difficulter admodum cognoscitur, utrum plus valeat ad conciliandum plausum spectati cujusdam viri, atque adeo ipsius Principis, autoritas, an inconditae plebis judicium et favor (1).



nomine in Theatrum produxerat, longe praeferretur, censuram ejus, quamvis arduis maxime de salute reipublicae curis eodem tempore fere obrueretur, intensissimo tamen studio promovisse. Quare Boilavius Sat. IX. p. m. 54:

*En vain contre le Cid un Ministre se ligue*
*Tout Paris pour Chimene a les yeux de Rodrigue.*
*L' Academie en Corps a beau le censurer;*
*Le Public revolté s' obstine à l' admirer*. CRIS.

(1) *Plebis judicium & favor.*) Nimirum solus
*Munera nunc edit Vulgus, qui pollice verso*
*Quemlibet occidit populariter*. Juv. Sat. III.

Neque tamen id nudius tertius demum obtinuisse, luculentus pariter et expertus testis est, praeter Graecos Oratori nostro laudatos, ipse Terentius. Huic enim, etsi, Afranio judice, *non similem dices quempiam*; Hecyra tamen ejusdem, quae Scipionibus quidem (at quantis arbitris!) ita se probaverat, ut Valgius eam non minus ac reliquas quinque ipsi Africano Victori tribuere sategerit, bis nihilosecius populo displicuit, & vix tertiis tandem Megalensibus admissa est. THEM.

Saturn. L. II. C. 7. Meministis, Auditores, quod Macrobius refert de summo Principe Julio Caesare, eum, etsi maxime faveret Laberio, cum Publio Syro in scena contendenti, quem nimirum quingentis millibus invitaverat Romam, non potuisse ta-

Facillimum hic esset, varia ex recentioribus exempla adjicere. Pauci sane dantur Poetae dramatici, quibus hoc non usu venerit. *Molerius* ipse non statim suis dramatibus populi gratiam sibi conciliavit, uti vitae ejus scriptor testatur. Quaenam, quaeso, hujus rei ratio fuit? Opera eruditorum Theatralia a reliquis multum differunt in eo, quod plausum quandoque obtinent, antea contempta, cum contra alia quaevis eruditorum opera, semel spreta, continuo evilescant. Nullus fere provocationi locus est à judicio illo, quod ab orbe erudito semel latum est. Loquor hic de sententia tantum damnatoria; non enim nescio, multos saepe libros, primo quidem cum applausu exceptos; tempore autem exiguum eorundem pretium detegente, ad institores relegatos esse. Qua de re Boileau Sat. IX, v. 33 seq.

*Combien d'Ecrivains d'abord si bien reçus*
*Sont de ce fol Espoir honteusement deçus!*
*Combien pour quelques mois, ont vu fleuris leur Livre,*
*Dont les vers en paquet se vendent à la livre.* I. GALL.

Erat tempus, quo unus placebat Cicero, nec eruditus habebatur, qui eum non ad superstitionem usque exprimeret suis scriptis. Sed jam plus satis deferbuit impetus iste. VAND.

tamen prohibere, quo minus populus favorem in Publium verteret, eoque his Laberium verbis fuisse allocutum:

*Favente tibi me victus es, Laberi,*
*a Syro.*

Nec ignoravit lepidissimus Gallorum Molerius, quantum etiam vulgo placuisse (1) juvet, quippe qui Comoedias suas

La Vie de Moliere p. 68.

(1) *Vulgo placuisse.*) Nec populi plausus tamen securus semper de pretio operis scenici sponsor est. Dudum observatum est, vulgus saepius pessima quaevis in iisdem probasse, praeferendo ut plurimum ea, quae fidem excedunt, mediocribus; copiam rerum paucitati & delectui; ludicra tandem seriis & solidioribus. *vid. Baillet Jug. des Savans.* T. 1. p. 76 seq. Quamobrem non male Horat: ne judicia plebis moremur, vetuit Sat. IX I. I.

*Neque te ut miretur turba, labores.*

Idem sentit *de la Motte* in responsione ad undecimam Boilavii animadversionem ad Longinum factam. Conferantur imprimis ea, quae dicta sunt ab eo in quatuor versiculos illos Poetae cel. *Corneille*:

*Pleurez, Pleurez, mes yeux, & fondez vous en*
*eau &c.*

qui tamen diu admirationi fuerant omnibus. Interim tamen negari nequit, dari quaedam scripta prorsus a judicio plebis & feminarum praesertim pendentia. Malebranchius egregias hujus rei rationes suppeditavit. *Vid. Recherch. de la Ver. T. I. L. II p. 11 Ch. i* GALL.

suas, antequam producerentur in theatrum, pedissequae praelegebat(1), et quae minus illi arriderent, diligenter emendabat. Quanquam multum et valuit aliquando ipsius Regis Ludovici XIV. judicium: nam cum idem Molerius anno superioris saeculi septuagesimo drama, quod *Civem Nobilem* vocat, prima vice exhibuisset in theatro, Rege tacente, plerique alii frigidius judicabant, at simul atque Rex iterum repraesentatum praestantissimum pronuntiasset, nemo erat, qui velut ad nutum ipsius continuo non applauserit

Ib.pag. 166. seq.

*Le Bourgeois Gentilhomme.*

(1) *Praelegebat.*) Minus accurate locutus esse videtur Orator noster. Non omnia dramata suae ancillae praelegebat Molerius, immo ne integra quidem, si Grimareto fides habenda est, in margine citato. *On sait même*, inquit in vita Moleriana p. 68, *que lorsqu'il vouloit, que quelque scene prit le Peuple des Spectateurs comme les autres, il la lisoit à sà Servante, pour voir si elle en seroit touchée.* Non igitur nisi scenas quasdam praelegebat servae, immo ejusmodi tantum scenas, quas populi genio accomodatas esse volebat: *C'est ainsi què Mr. de Malherbe & Mr. de l'Etoile avoient coutume de lire à leurs Servantes les Ouvrages qu'ils avoient composez, avant que de les mettre au jour... pour connoitre s'il etoient remplis d'une certaine beauté qui se fait sentir aux personnes les plus grossieres* &c. I. GALL.

rit ambabus manibus. Ita et e diversa parte unius quandoque importunus jocus optimis dramatibus nocuit: quod de Coriolano, Tragoedia exquisitissima ab Abbate Gallo Abeille paucis abhinc annis composita, constat. Nam cum is, qui personam induerat Coriolani, in hanc sententiam sororem esset allocutus: * *num meministi, Soror, Regis, Parentis quondam nostri?* e turba spectantium nescio quis festivus homo exclamabat: ** *per meam fidem, si non meminerit, nec ego satis memini*; ex quo tanta subito inter spectatores orta obmurmuratio, ut nunquam posthac in scenam prodiret miser Coriolanus, quin derisiones omnium ac sibilos in se provocaret (1). Longus hic exspatiandi campus foret, si per omnia veterum et nostri aevi theatra vagari liceret. Ipse Æschylus, Vir magni ingenii,

Piec. Fugit. d'Hist. & de Litt. A. 1704 P. III. p. 544.

Pope Blount. Cens. Erud. p. 5.

* *Vous souvient il*, ( quidam legunt, *s'il m'en souvient* ) *ma Soeur, du feu Roy nostre Pere?*
** *Ma foy, s'il n'en souvient; il ne m'en souvient guere.*
(1) *Provocaret.* ) Asseveravit mihi non nemo, fabulam hanc ab otioso quodam excogitatam esse I GALL.

nii, cum Tragoedias populo dederit nonaginta, vix vicies octies, vel ut alii ajunt, decies ter vicisse memoratur, cessitque is tandem Sophocli (1),
Athen. L.VIII. quamvis longe aetate juniori, et indi-
p. 374. gnabundus ad posteritatis judicium
Plut. in Cim. p. provocans, relictis Athenis in Siciliam
483. emigravit inglorius. Pindarus, quem ne imitari quidem quisquam poterat, teste Horatio, cum auditores Thebanos

(1) *Sophocli.*) Certum est, non nisi ex novitatis amore praelatum esse Sophoclem Aeschylo: verum constat etiam, meruisse eum successu temporis hanc palmam mature satis sibi tributam. Conscripsit nimirum plurima insignis prorsus elegantiae dramata, multumque auxit Tragoediarum decus, praeterea quoque ordine accurato judicioque omnes decessores suos multum superavit. Huc apprime faciunt sequentes versiculi:

*Sophocle enfin donnant l' essort à son genie,*
*Accrut encor la pompe, augmenta l' harmonie,*
*Interessa le Choeur dans toute l' action,*
*Des vers trop raboteux polit l' expression,*
*Lui donna chez les Grecs cette hauteur divine,*
*Ou jamais n' atteignit la foiblesse latine.*
*boil. l' art. poet.* Chant. III.

Hac ratione satis vindicavit vulgi judicia Sophocles, posteritas autem elusit spem ab Æschylo conceptam, qua se aliquando praelatum iri arbitratus fuerat. Interim eadem prorsus fata experta sunt utriusque Autoris Tragoediae; siquidem pleraeque periere. *Vid. le Fevre les Vies des Poetes Grecs.* I. GALI.

nos nactus esset indoctos, quinquies Elian. var. His carmine se superatum vidit a Corinna L. 13. (1) quem *porcum* vocabat, ad proverbium c. 25. *sus Minervam* alludens (2). Et saepius con- que-

(1) *Corinna.* ) Egregie tamen docta fuit elegantissimosque versus composuit Femina haec. Ceterum *Fontenellius*, nostri saeculi Pindarus, multo humanior est veteri illo. Nec ipsi quidem Corinna sua defuit, a qua vinceretur. Tantum autem abfuit ab illorum Poetarum moribus, qui laudibus satiari nequeunt, virginemque vel maxime amabilem invidis oculis adspiciunt, quam primum eamdem calamo inclarescere viderint; ut potius gloriae sibi duxerit *Deshoulieriae* nobili feminae praerogativam concedere, nec de victoria cum eadem contendere voluerit. Immo constat, eum data opera quaedam ex suis neglectiora paullo relicturum fuisse, si quid forte aemulae huic suae ad elegantiam carminis defuisset, nimirum ut teneri huic Musae tam gloriosae victoriae voluptatem, relinqueret. Vid. *Hist. des Ouvr. Sav. Cept.* 1681 *Art. XIV. p.* 132. 133. I. GALL.

(2) Non populi tantum Atheniensis, verum eruditorum quoque omnis aevi sententia de Aeschyli, ac Sophoclis merito certatum. Lis autem sub judice adhuc est. Testis est luculentus Quintilianus *Lib.* 10. *Cap.* 1. ubi ita scribit: *Aeschylus sublimis et gravis et grandiloquus*: addit postea: *longe clarius illustraverunt hoc opus* (Tragoediam nempe) *Sophocles atque Euripides; quorum in dispari dicendi via uter sit Poeta melior inter plurimos quaeritur.* Quorsum autem haec diutina concertatio? Quod si enim disparem viam ab initio ingressi fuere; iam vero, nisi fallor, Aeschylus Sophocli non cedit, neque hicce illi. Quid ni? Neque mirum, quod Corinnae cesserit Pindarus, quem

questus est nostra etiam aetate tersissimus inter Anglos Poeta, Joannes Drydenius, ea ipsa dramata, quae Viris in hac arte exercitatissimis praelecta placuissent, postquam in scenam ducta fuissent, plausores admodum paucos vel nullos invenisse (1). Nec deessent aliorum exempla, qui cum leges theatri

Opp. P. I. p. 515. P. II. p. 329.

---

quem ne aemulari quidem facile poterat. Pulcritudini enim ac sessui omnia semper, nedum sapientiam ac stylum, cultiores Gentes ac molliores facile tribuerunt; Pulcritudo namque, non secus ac opulentia, omnia in se complectitur, ut Juvenalis inquit et Horatius. At Corinna non solum pulcra, verum etiam docta, sapiens, jucunda, inprimis autem Poesim callebat. Quare *Musa Lirica* meruit appellari. Quis interea mirabitur, Musam hanc auditorum facilitate Pindarum quinquies vicisse? CHRYSOL.

(1) *Paucos vel nullos invenisse.*) Neque vero haec Comico saltem in spectaculis accidere solent; quia plurimi homines in amplo hoc Mundi Theatro mox hilarem induunt ludicramve personam, mox tristiore larva tecti incedunt. Vulgus est, qui judicandi libertatem sibi vindicat; hic vero, quum maximam hominum partem constituat, et ingenio tamen atque judicio ad probe censendum necessario, destituatur, causa per se manifesta est, quare illa quae solidum crepant et eruditissimorum quorumvis assensum merentur, paucioribus placere consueverint. Quicunque stentorea voce gaudet, aut lingua maxime volubili instructus est, primas tenet inter Theologos: qui clamando reliquos superare et promptissime fabulari no-

atri haberent perspectissimas, plausum tamen extorquere spectatoribus nequaquam potuerunt. Quod cum animadverterent rudiores quidam dramatum auctores, nihil prius aut antiquius habuerunt, quam ut risum sollicitarent, adeo ut Castelvetrus suo tempore ipsam Salvatoris (1) nostri sanctissimam passionem (2) tam absurde atque indecenter testetur Romae repraesentatam, ut, qui spectarent, in libertimos cachinnos effunderentur. Quem Ita-

Rimer of Trag. p. 53.

novit, JCtorum Antesignanus, Philosophorum praestantissimus salutatur: et ille tandem Medicorum est experientissimus, qui circumforaneas agyrtarum grandiloquentias optime imitari didicit. Libri eruditiores negliguntur; quippe qui stupidae aut semi-doctae plebis captum transcendunt. Lexica quaerimus, Diaria scripta in Ana desinentia, et nescio quae lepida commenta alia: Curiosum scilicet est seculum nostrum et novitatis avidum; sed genio simul indulgens, quodque breviori via erudiri cupit. Rident interim prudentiores, dum certi sunt, eodem successu ex his tricis doctrinam peti, quo in morionum fasciculis remedia sanitatis quaerimus. I. Hall.

(1) *Salvatoris.*) Servatoris potius. CHRYSOL.

(2) *Sanctissimam passionem etc.*) Simili plane impio ausu, quo eamdem S. Passionem versibus ludicris, (Galli *Burlesque* vocant) petulantissime descripsit homo ingeniose nequam; ut Autor est personatus Naudaei Mascurat in Apologia pro Mazarino Cardin. p. 172. Them.

Italorum (1) morem imitati videntur Germani nostri, qui nullas se consequi lau-

(1) *Italorum*. ) Non adeo recens est hic scurrilium in orbe-erudito amor, quicquid in contrarium objecerit vir quidam non mediocriter litteratus, hoc argumento innixus, quod non extent huius farinae opuscula nisi a paucis retro saeculis. Ast si, quid sentiam, libere profiteri liceat, parum firmo argumento uti videtur. Nonne aeque probabile est, periisse scripta ista, quam nunquam composita esse? Tantum profecto praestantium librorum numerus interiit, ut prorsus mirum non sit, pessimos quosque saevitiae temporum ferendae pares non fuisse. Fortasse post quadringentorum aut quingentorum annorum decursum dubitabunt aliqui, num nostro saeculo cognitum fuerit ridiculum hoc stili genus, quod *burlesque* vocari solet. Immo, licet vatem agere nolim, praedicere tamen facile ausim, aetatem non latura esse vilia ejusmodi scripta, qualia sunt *Ovide en belle humeur*; *Virgile traveti en vers burlesque* cet. Conservabit fortasse *Scarronii* cujusdam nomen historia, quod vidua ejus consecuta est. Quod autem ineptiis ejus parcitura sit temporis violentia, quodve nepotes nostri benigne excepturi sint tria ista notissima scripta comica, quibus *Balzacius* favorem posterorum expetere visus est; id sane ut credam, adduci prorsus non possum. *Vid. Entret. de Balzac p.* 372. Inscribuntur autem scripta haec: *Les Avantures de la souris*; *La Requete de Scarron au Cardinal*, *et la requete des dictionaires a l' academie*, *par Menage*. Nec negari tamen potest, eadem facile praestantissima esse eorum, quae in hoc genere exstant. Aristoteles hoc scripturae genus inter flores retulit Rhetoricos, *cap. V. Rhet.* Cicero autem in arte Oratoria insignem ejusmodi sententiarum copiam suppeditavit, quae pro

laudes posse credunt, nisi scurrilia frequenter immisceant, quae infimae plebi ac faeci hominum risum clamoresque excutiant, eoque moriones et gesticulatores immittunt in scenam, qui quic-

B quid

pro argutiis cum venditarentur, nihil tamen minus re vera quam argute dicta erant. Tenerrimus, quo posteros nostros amore prosequor, affectus, spesque certissima, fore ut vel nostro exemplo prudentiores facti, vitia saeculi nostri corrigant, in sententia mea me confirmant. Quis vero neget, inter veteres quoque exstitisse, qui ingenii portentis, acuminibus, vocabulorum lusibus, similibusque ingeniorum malesanorum monstris delectati fuerint, quibusque scurrile scribendi genus ( *Burlesque* ) cognitum fuerit. *Longinus* profecto et *Quinctilianus* non vanam in eliminando hoc quisquiliarum studio operam posuerunt, ( unde saltim patet, infecta fuisse hac peste eorum tempora ) quae subinde rursum rediit, magnasque in erudito orbe strages edidit. Sed forsitan olim penitus cessatura est lues haec contagiosa. Fatendum interim, nunquam tanto plausu apud antiquos exceptum fuisse histrionicum scribendi genus, quanto nostris id temporibus excipi videmus. Persuasus etiam sum, nullum integrum opus eo stilo conscriptum olim esse a quoquam, quum satis haberent scriptores illi, interspersisse subinde libris suis falsas argutias, aequivoca, acumina, verborumque lusus; & quod maxime notari velim, nunquam eos existimo religionis suae mysteria stilo ridiculo involvisse, quod nostro saeculo factum esse constat. De solo hic Theatro loquor: novi enim Lucianum aliosque neutiquam pepercisse suae aetatis religionibus. I. Gall.

quid inficetum spurcumque ac foedum in buccam venerit, impudentissime effutiunt. (1) Ita vero allici spectatorum numerum, quaestumque augeri ac nomen comparari posse arbitrantur, non ignari, quantum sit hominum dementiorum, qui cum decipi cupiant, dignissimi sunt qui decipiantur. Sed quid moror haec thaeatra, quae ad fallendos paucos, eosque inficetos et ineptos, excitata sunt: ipse Orbis universus theatrum est, in quo histrionum quodammodo partes sibi sumunt, qui famam gloriamque et communem mortalium plausum summa animi sollicitudine sectantur. De Carolo Patino memorant, quod, cum Basileae apud Doctorem Medicum divertens (2) ex

(1) *Effutiunt.*) Re quidem vera me piget poeticarum ineptiarum, quas in nostris Theatris nobis sistunt Itali Actores. Profecto in Italia degenerarunt Theatra. Nihilque exspectandum ab iis, quam bonarum artium ac elegantiorum litterarum depravatio. Quis itaque nunc dixerit Theatra esse Gentis nostrae scholas? Nullus certe, qui sapiat. CRYSOL.
(2) Desunt haec verba in edit. Lipsiae 1705. CHRYS.

ex ejus forte filio, Medicinae Candidato quaesivisset, quot partes tradantur Medicinae, isque e communi sententia quatuor, *Physiologicam*, *Pathologicam*, *Semeioticam*, *et Therapevticam* enumerasset, addiderit ipse quintam, quam omnium primam vocabat, *Charlataneriam* nempe, quam si quis satis non perdidicisset, eum Medici nomine prorsus censebat indignum. Nec inepte Patinus censuit; nam ut agyrtas taceam et circulatores, qui in pulpitis et theatris per fora et compita viasque publicas miserae plebi imponunt, nugasque ac nubem pro Junone vendunt, quotusquisque est hodie Medicorum, qui non κρατιϛοχειρεργηματα sua ubique jactet(1), vividos nimirum latices, olea in-



(1) *Jactet.*) Vocabulo Graeco utitur Orator noster ex tribus aliis composito, quod *excellentissimas manuum operationes* significat. Elegantem in linguis Graeca & Latina sonum edunt voces ejusmodi, ex pluribus aliis compactae; si debito in loco adhibeantur. Gallica quoque lingua quondam id genus vocabula admittebat; hodie vero res aliter se habet. Conf. ea quae *Costaeus* de *Thesauro chrysochryside* ex Co-

incombusta, hieras hermeticas, panaceiam, mumiam magneticam, aurum potabile, pulveres vipereos gemmatos, besoardicos, theriacales essentias, tincturas, et id genus remedia alia sexcenta, quae novis nominibus, Arabicis dicam an Abracadabricis(1), involvunt. Enimvero non in Medicis tantum quaesiveris Charlataneriam (2), quin potius ubi-

Comoedia *Captivorum* Plautina dixit, cujus interpretationem Gallicam ille dedit praestantissimam. I. Gall.

(1) *Abracadabracis*.) Notissimum est, superstitiosos huic voci virtutem magicam tribuisse, ad pellendos morbos facientem, si sequenti ratione schedulae inscripta amuleti ad instar collo appensa fuerit;

a b r a c a d a b r a<br>
a b r a c a d a b r<br>
a b r a c a d a b<br>
a b r a c a d a<br>
a b r a c a d<br>
a b r a c a<br>
a b r a c<br>
a b r a<br>
a b r<br>
a b<br>
a

I. Gall.

(2) *Charlataneriam*) Cum fines Charlataneriae non videantur satis definiti, non abs re erit, si hic di-scri-

ubique se prodit inter eruditos, qui se Diis proximos esse arbitrantur, si plausum, quem non minus quam vitalem auram studiose captant, fuerint consecuti (1). Qua de re cum pauca verba ad vos facere constituerim, Auditores, oro vos quaesoque, ut animis benevolentissimis linguisque faveatis.

Quemadmodum circulatores sua plerumque privilegia et diplomata jactare solent, titulosque adsciscunt mi-



scrimen Charlataneriae, Paedantismi, Galantismi, Machiavellismi litterarii adiiciatur. Charlataneria cum Paedantismo et Machiavellismo conjuncta est, ita ut omnis Charlataneria sapiat speciem Paedantismi, et Machiavellismi, licet non omnis Paedantismus et Machiavellismus speciem Charlataneriae. Carlataneriae proprium est: Mundus vult decipi; in cujus studio *judicium* magis corruptum est, quam *voluntas*. Paedantismus autem, qui vetustati addictus est, et in rebus nullius usus versatur, prodit eosdem cum intellectus, tum voluntatis morbos. vid. Ferrarii Orig. linguae Italic. p. 226. Clericum Parrhas. Tom. I. pag. 250. Huberum Or. de paedantismo. CHAR.

(1) *Consecuti* ) Ita Horatius de se ipso satis gloriose Cecinit:

*Me doctarum hedera praemia frontium*
*Dis miscent superis . . .*

& paullo post:

*Quod si me lyricis vatibus inseras,*
*Sublimi feriam sidera vertice.*

Lib. I. Od. I. I. GALL.

BIBLIOTHECA ... ROMA ...

ros et portentosos, ita in Orbe erudito universo non pauci deprehenduntur, qui novis honorum titulis decus praecipuum ac famam quaerunt. Nota sunt in Hispania Archi-Cosmographorum, Archi-Historiographorum, Archi-Mathematicorum nomina, quibus si qui fuerint a Rege decorati, ii demum in studiis illis, in Historia, Mathesi aliisque, principatum gerere existimantur (1). Quis Italorum nescit Academias, quae raris ac ridendis nominibus celebrari se gestiunt, quales sunt Argonautae, Seraphici, Elevati, Inflammati, Olympici, Parthenici, Inthronati, tum et obscuri, immaturi, infoecundi, obstina-

(1) Non solum in Hispania, et in Italia, verum etiam Neapoli exſtat Doctorum collegium a Johanna II. Regina institutum, ubi addlescentes, qui in Jurisprudentiam incumbunt, lauream petere debent *doctoralem*. Item Theologi ac *Licentiati*, si diis placet. Verum quis ibit inficias ejusmodi Collegia, et Academias, quae titulos honoresque tribuunt, magno usui esse, ut ingenia excitentur, et ad litteras convertantur? Quotusque enim est, qui virtute contentus quam possidet, ejusmodi titulos contemnat! Melius itaque rem putare debebat Menkenius. CHRYSOL.

nati, offuſcati, otioſi, ſomnolenti, inhabiles, phantaſtici(1). Quin ipſa etiam nomina


(1) *Inhabiles phantaſtici* etc.) De his ac ſimilibus perlepidis Italorum Societatibus confer ſis Morhofium L. 1. c. 14. Polyh. Struvium Introd. C. X. et in ſupplem. p. 153. Reimannum P. 1. Hiſt. Lit. L. 1. p. 107. ſeq. Eadem ſcilicet ſunt horum Collegiorum in rem Literariam merita, quae fuerunt olim ſociorum Caeſianorum, carpophororum, Phonaſcorum, Diſquirentium etiam, Scrutantium, Pythagoraeorum et reliquorum, de quibus omnibus vere dicas illud Fabulatoris:

*Mons parturibat . .*
*Eratque in terris maxima exſpectatio.*
*At ille murem peperit. Hoc dictum eſt Tibi.*
*Qui, magna cum minaris, extricas nihil.*

Phaedrus L. IV. 22. Optarem interim, ut licuiſſet Chriſt. Junckero Commentarium abſolvere, quem nos de ſocietatibus his Literariis exſpectare juſſit. I. HALL.

Paucae dantur in Italia Civitates, in qua non ſocietas quaedam ridiculo prorſus, immo parum honorifico nomine inſignis, inveniatur. In Germania quoque hujus generis aliqua extat; in Anglia autem nihil ſimile novi. Suppono enim, academias non eſſe illas ſocietates, quas Spectator *Coteries* vocat, *Tom. I. p.* 52. *p.* 86, 152, 194, 371, *cet.* Nec in Gallia quicquam horum mihi innotuit, ubi Academia quae *la Françoiſe* audit, adeo modeſta fuit, ut conſtanter rejecerit tributa ſibi nomina *Academie des beaux eſprits*, *Academie d'Eloquence*, *Academie eminente*: Quare hiſtoricus ejus obſervat: *qu'au choix du Nom qu'elle a pris,*
*Nom*

Naudè Mascurat p. 79. 83. seq.

na ex Italis aliqui mutare consueverũt (1), tempore imprimis Pauli II. Pontificis

---

*Nom qui n' a rien de superbe ni d' etrange, elle a temoignèe peutêtre moins de gulanterie; mais pêutetre aussi plus de jugement & plus de solidité que les Academies de delà des Monts, qui se sont piquèes d' en prendre ou de misterieux ou de bizarres, tels qu' on les prendroit en un Carousel ou en une Musquerade, comme si ces exercices de l' Esprit etoient pûtôt des debauches et des Jeux que des Occupations serieuses*. vid. *Hist. de l' Acad. Fr.* T. *II.* Ut autem ostendam, quam ridicula fuerint nomina haec, duo exempla suffecerint. Primum nobis *Academia degli Intronati* Sienae instituta suppeditabit. *Intronati* idem sonat ac stupidum vel hebetis ingenii esse, et in origine sua spectatum hominem indicat, qui fulmine tactus est, mentisque usum amisit. Secundum autem *Academia della Crusca* suggerit Florentiae orta, quae Dictionario Linguae Italicae edito inclaruit, et exemplum eo ipso Academiae Gallicae praeivit in Vocabulario suo magno adornando. *vid. Moncorys premier Voyage d' Italie*, *Naudè dialogue de Mascurat*, *Pelisson Histoire de l' Academie Franc. Crusca* sermone Italico *furfur* denotat, sive omne illud quod ex farina probe cribrata residuum est. Num, quaeso, cura Academiae hujus indefessa, qua linguae suae puritatem restituebant, convenientiori vocabulo exprimi potuisset? I. Gall.

(1) *Nomina mutare consueverunt*) Plerique, ut eruditum nescio quid sonarent et eruditionis eorum, qui ea ferebant, opinionem quandam in animis legentium excitarent. Fuerunt, quibus non nisi Graeca nomina ad palatum essent; inter quos mihi semper ridiculus maxime visus est Medicus

cis, quo Majoragius, aliique, exemplo Pomponii Laeti, abjectis nominibus, quae

cus ille, qui pro nomine Gallico *Sans Malice*, Akakian vocari se voluit. Alii levi immutatione nomini suo gratiorem dare sonum conati sunt, ut qui pro Petro Pierii, pro Peretio Petreji, pro Voutio Vulteji et similia nomina adscivere. De Balsacio Gallo refert Sorelius in libello *de la Connoiss. des bons livr.* c. 2. p. 28. eum, spreto Guezii, quod a parentibus acceperat, nomine, a praedio, quod possidebat, cognomen mutuasse, majore in pretio scripta sua penes lectores fore existimans, si ex nobilissima familia Balzaciorum *d'Entragues* prognatus crederetur. Menagius tamen *Antibaillet p. 3. seq.* has accusationes Balzacio intentatas ceu calumnias refellit. I. Gall. Vide de nominum mutatione praeter alios notiores; Anonymum in Rabi *Bibl. Librorum novorum Belgica an. 1694. mense Majo et Iunio pag.* 1528. *seq.* Kend.

Eo usque processit perversa hominum phantasia, ut pretium rei cujusvis pro grato ingratove nominis ejus sono metiretur. Sola nomina saepius vel felices vel infelices reddiderunt multos. Facile esset infinita hanc in rem proferre exempla, cum recentiora tum antiquiora. Observasse jam sufficiat, morbum hunc omnibus saeculis, vitae generibus populisque communem esse, siquidem Reges, Principes, Imperatores, Papas, Hebraeos, Graecos, Romanos eodem infectos videmus. En singulare prorsus exemplum, unde intelligere simul licet, quantum commodi gratioris soni nomen adferre queat, quod ex scripto *des Accordii* mutuaturus sum, licet forte Lectores mei tanti autoris testimonium in re tantilla vix expectaverint. *L'allusion*, inquit, *du mot* Regillianus

qui

quae nova ipsis videbantur, vetera illa Romana (1) revocabant. Sed ut ad titulos

---

*lui servit tant que sans autre occasion il fut elû Empereur, l' un de ceux qui est nommé entre les trente Tyrans : En la vie duquel Trebellius Pollio dit, qu' apres la mort de* Ingenuus *les Soldats étans à table, et devisans, à qui il falloit donner l' Empire, un nommé Valerianus commensa de dire : d' ou vient ce mot* Regillianus? *A* Rego, *repondit un Soldat. Puis un certain, qui avoit autrefois étudié en Grammaire, épluchà ainsi*, Rex, Regis, Regi, Regillianus. *Tellement qu' un autre suivit et dit :* Ergo nos regere potest et rex esse. *Surquoi tout les Soldats, par une acclamation militaire l' eleurent Empereur. Desorte que l' on voit par là, que ce n' est-pas sans raison que Platon en son Cratyle dit, qu' on se doit etudier de donner aux Personnes de beaux noms etc. vid. Bizarrures des allusions Chap. XI.* I. Gall.

Ita multa e contra Heroum Graecorum nomina ignota nobis mansisse, sunt qui arbitrantur, quod illorum in carmine Graeco rationem non commode habere posset Homerus. Nec hoc loco praetermittendum, quod de *Gilb. Burneto*, Episc. celebratissimo, narratur. Scripserat is sub auspiciis Regni Wilhelmi III libellum, quo ejus in Angliam jura defendit, inter alia id quoque, quamvis haud acriter, urgens, quod bello sibi obnoxiam reddiderit. De hoc cum in Parliamento quaestio agitaretur, et quidam alludendo ad nomen *Burnet*, primum vel mussitando dicerent: *Burnet; burn it*; mox una voce omnes *burn it, burn it* clamabant, quo factum, ut publice liber igne cremaretur. Vand.

(1) *Vetera illa Romana*) Huc pertinent membra Societatis Abbreviatorum Romanae. Ex. gr. Philippus Ge-

los redeamus, non sunt tacēdi hic acerrimi (1) aemuli, Julius Caesar Scaliger (2) et Gasparus Scioppius. Ille enim e Principum Veronensium de Scala sanguine se ortum, responsis prudentum in Academiis pluribus ambitiose corrogatis, docebat (3), Criticumque se, Poetam, Me-

---

Geminianus, de quo Jovius in *Elog. n.* 40. *p.* 96. adsumsit nomen Callimachi; Jacopus Pontanus Joviani: Jacopus Sannazarius Actii Sinceri. Vide plura apud Platin *Vit Pont. Rom. Vita Paulli II. p.* 331. Arisium *Cremona litter. T. I. p.* 312. Struvium *Act. Litter. Fascic. IV.* p. 1 Ferrarium *Opp.* a *Cl. Fabricio ed. p.* 110. 11. *et* Stempelium *de Societ. Abbrev. p.* 4. CHAR.

(1) Alibi legitur *duumviri*: melius aemuli. CHRYS.

(2) *Iul. Caes. Scaliger.*) Is variis locis multa de se praedicat, e. g. Epistola quadam ad Augerium Ferrerium pag. 256. edit. 1600. 8. speciatim de familiae suae splendore eadem Epistola p. 257. item Oratione in luctu Audecti Caesaris filii, p. 323. CHAR.

Multa Scaligero objecta fuerunt: dicacitas, iracundia et imprimis immodicae laudes, quibus se ipsum extulit. Nihilo minus tamen inventi sunt viri magni, qui elogiorum horum elogia fecerunt. *vid. Entrets de Balzac. p.* 91 *seq.* Tam cupidus nimirum gloriae, et inclarescendi avidus quasi fuit, ut ne a mendaciis quidem, quo ambitioni suae satisfaceret, abstineret. vid. not. seq. I. GALL.

(3) *Ambitiose corrogatis docebat.*) Tam perverso quidem inclarescendi pruritu, ut Scioppius adversarius in

Medicum et Philosophum venditabat: hic vero, nobili pariter prosapia juratis testibus asserta, hoc vulgo elogio conspiciebatur: *C. Scioppius, Patricius Romanus, Eques S. Petri, Consiliarius Imperatoris, Regis Hispaniarum et Archiducis Austriae, Comes Palatinus et Comes de Clara-*

in hoc ejus de Vita Parentis et gente Scaligera scripto, vix octo phyliras exsuperante, ultra 499. imposturas detexerit. Conf. Naudaei Mascurat p. m. 24. Intelligunt quippe hi boni Viri, quam pulchrum sit digito monstrari et dicier hic est.

*Vir mactus omni laude, seculi decus,*
*Princeps senator literariae rei.*
*Cui Phoebus ipse assurgit, et fasces suos*
*submittit omnis Eruditorum chorus.* THEM.

Valde dissentiunt eruditi in Genealogia Scaligeri tradenda, inque stemmate ejus a Principibus Veronensibus derivando. Et quod maxime mirandum; quivis eorum sententiam sua pro opinione ubique hodie recepta venditat. *Tous ceux*, inquit *Teissier*, *qui ont parlè sans passion de la Genealogie de Scaliger, ont tombè d' accord, qu' il etoit descendu de l' illustre Famille des Scaligers, Princes de Verone*. En contradictoriam in terminis: *Jules Cesar Scaliger*, Baelius inquit in Dict. art. Verone, *se disoit issu de cette maison . . . . Peu de gens croient aujourdhui, qu' il fut bien fondè*. Eadem fere ac Baelius ratione, ea de re loquitur Arnaldus: *Scioppius*, inquit, *fut passer pour une fable sa prètendue naissance des Princes de Ve-*

*ra valle*. Praetermitto exempla eorum, qui ut multo inferiores Scaligero et Scioppio fuerunt doctrina, ita id unice spectarunt, ut longam ostentarent titulorum seriem, quod id plurimum valere existimarent ad conciliandam eruditionis opinionem. Et saepe utique miratus sum patrum nostrorum ambitionem, quippe qui Illustrium Excellentissimorum, Clarissimorum, Spectabilium compellationes, olim Principibus tantum Regibusque ac Senatoribus Romanis concessas, in Scholam transtulerunt. Videas hodie, ut loquitur Vir elegantis ingenii, multos vocari velle *Clarissimos*, qui extra moenia Civitatis prorsus sunt incogniti, *Magnificos* quos urget res angusta domi; *Consultissimos*, quibus parum aut ni-

Mabillon. de Re Diplom. L. II. Spanhem. de usu Num. p. 605. Lilienthal de Mach. Litter. p. 152.

*Verone: en quoi les personnes les plus judiceuses conviennent maindenant qu' il avoit raison.* vid. moral pratiq. T. III. p. 25. Tandem omittendum non est, quod *La Motte le Vayer* de 499. imposturis scripsit, quorum in animadversione praecedenti mentio facta est, nimirum *qu' une Accusation si etendue et si pleine d' animositè se detruit elle mème.* vid. *Teissier* p. 150. I. GALL.

nihil consilii; *Excellentissimos*, (1) quos vel tyro antecelleret scientia. Enimvero cum olim Carolus Magnus, Romanorum Imperator, in inscriptione Libri, quem de *Imaginibus* contra Graecos scripsisse traditur, *Viri Excellentissimi et Spectabilis* (2) elogio mactetur; ecquis

est

---

(1) *Excellentissimos*) Ita olim Francorum Reges compellati sunt. Exstat enim in Codice Carolino Epistola XLII. *Dominis nobilissimis atque excellentissimis filiis Carolo et Carolomanno Regibus Francorum* a Paulo Papa inscripta, teste Mabillonio de Re dipl. L. II. c. 6. §. 7. Idemque testatur c. 1. l. 4. §. 12. eo titulo jam antea Reges Langobardorum fuisse salutatos. Ita enim Rotharis Rex, qui primus leges scriptas promulgavit, in edicto Papiae An. DCXLIII. publicato: *Ego in Dei nomine Rotharis Rex, Vir Excellentissimus*. Char.

Dicet fortasse aliquis, simplicitatem hanc utique laude dignam fuisse temporibus *Joannis de Vert* in Gallia; verum sine ratione. Inveniuntur enim ejus rei exempla et eo, quo vivimus saeculo. Ne tamen modestiam superstitum hic laedamus, sufficit adduxisse exemplum Regis Gallae, qui 700. annis post supra memoratos et in proxima adnotatione memorandos vixit, Francisci I. nimirum, qui quum magnificis ampullatisque titulis integras implere potuisset paginas, primarium se Regni sui nobilem (*le premier Gentil homme de son Royaume*) dicere satis habuit. I. Gall.

(2) *Spectabilis*). Prostat opus opera Eli. Phili. seu Eliae Philyrae h. e. Jo. Tilii editum in Gallia

1549

est hodie inter Doctores umbraticos, cui idem (quandoquidem usus est vocabulorum tyrannus) jure optimo maximo non competat: ut insanire propemodum videantur hoc tempore, qui apud nos, ut Bullialdus (1) quondam inter Polonos, Excellentiae (2) compellationem non

1549. hoc titulo: *Opus Inlustrissimi, et Excellentissimi, seu spectabilis Viri, Caroli Magni, nutu Dei, Regis Francorum etc. contra Synodum; quae in partibus Graeciae pro adorandis imaginibus stolide sive arroganter gesta est*. M.

(1) Bullialdus) *Mons. Boullaud Math. etant en Pologne, comme on le traitoit souvent d'Excellence, vint à s'en facher, disant qu'il ne meritoit pas ce nom là. Quelqu'un alors luy repliqua, qu'il ne devoit pas s'en facher, qu'en Pologne on le donnoit à tout le monde.* v. Colom. Mel. Hist. pag. 13. M.

(2) *Excellentiae*.) Pulcre de hoc titulo lusit Professor quidam ad alterum his versiculis.

*Excellentia Claritasque vestra!*
*Quod deridicule mihi tibique*
*Dant nomen titulotenus Studentes,*
*Instar iridis aestimare par est;*
*Formosissimus arcus ille picta*
*Gemmat luce coloribusque pulcris,*
*At mendax sine rebus est imago.*

Quos, Seldeno *de titulis honorum* refert Tenzelius Colloqu. Menstr. A. 1697. p. 761. In Rosini Lentilii Miscellaneis Medico Practicis p. 608. seq. habetur

non admiserit (1). Quin et eo processit sub ipsis instauratae eruditionis initiis honorum cupiditas, seu titulomania (2), ut

---

tur Theodori Caroli D. & Physici Leomontani in Ducatu Wuterbergico ad Parochum quendam Medicastrum Epistola, in qua hic *Urinosae Claritatis* nomine aliquoties compellatur. SCRIB.

(1) *Excellentiae compellationem non admiserit*. T. C. literatorum nostra aetate non postremus, Excellentiae titulum majorem in modum affectare, ab omnibus qui ipsum compellarunt, narratur. Audiamus Severini a Clamoribus (h. e. Ernesti Martini Plarrii) verba ex Epistola *de vita studiis et moribus* T. C. Amst. 1706. impressam p. 4. *Risum tene, quaeso, si tibi dixero, hunc ab extraneis sese adeuntibus excellentis viri titulum, tanquam summo jure sibi debitum, poscere, quum sterquilinio quam homini sit similior? Mihi sane, quum consueto apud nos Domini nomine illum salutassem, regessit protinus; Comitem nescio quem se accessisse, qui variis de rebus secum fecerit sermonem, dixeritque inter alia;* Crede mihi, Vir Excellentissime (*Eur. Excellente han mir glauben* etc.) *ut moneret, hac neque alia ratione ferre se exterorum adloquium*. SAL.

(2) *Titulomania*) Nihil enim multos Semi-Eruditorum magis titillat, quam si per titulos novi quasi homines fiunt, et futilia ipsorum Schediasmata perpetuum profundae eruditionis Echo resonant: Sic bene ille in pago Ludi-Moderator, cum nemo alius dignis titulis eum ornare vellet, de seipso praedicare noverat: *Ego sum Rector, Con-Rector et Cantor, et omnia tresque.*, *et sic revera Omnia omnibus*. Cum quo (ut Charletanos Politicos aliosque nugivendulos taceamus) conferri meretur scholae cujusdam opi-

ut non deessent, qui Bartolum JCtum, velut alterum cultioris Orbis caput, invictissimum (1) vocarent. Taceo

C

---

pidanae Rector, iconem suam sequenti titulo ornans, nescio, an onerans: *A. P. Caesarea et Imperiali autoritate, Artium Liberal. Doctor et Poeta Laureatus, Societatis Germanicae Archivarius, Lycei N. Director supremus, Scholarum Germanicarum Inspector, Collegarum Gymnasii Senior, et puerorum chori currentis Ephorus etc. etc.* I. Hall.

(1) *Invictissimum.*) Adeant, quibus talia legisse volupe est, Ficardum in vitis JCtorum, et risum creberrime movebunt inepta praeconia, quibus primos Juris interpetres ornatos deprehendent. Sic Azo *Fons legum, Vas electionis, Numen Jure-Consultorum et Tuba veritatis*; Joh. Andreae, *Archi-Doctor immortalitate dignus, Tuba Juris Canonici,*
*Rabbi Doctorum, Lux, Censor, normaque morum*;
Baldus *Juris utriusque Monarcha divinus, qui omnia scivit*, alii aliter, sed aeque stolide, saepius blaspheme, cognominati fuerunt. Non minus bilem movent Fortunatus, quem *Scholasticissimum*; Ryckelius, quem *Doctorem Ecstaticum*; Halesius, quem *Irrefragabilem*; et Alanus ille, qui tria, qui septem., qui scibile noverat omne, quem *Universalem* appellarunt. Conf. Beyeri Spec. III. Notit. Aut. jurid. p. 38. et de Scholasticis Baillet T. I. c. 13. quod integrum de. titulorum praejudiciis tractat. Them.

Idem elogium Alphonso Tostato Episcopo Avilensi datum etiam est:

*Hic stupor mundi, qui scibile discutit omne.* I. Gall.

Quae pluribus heic Menkenius et adnotatores de titulomania, aliquo pacto *Charlataneriam* sapiunt. Nihil enim umquam sine hujusmodi titulis praeclari

fa-

ceo (1) Scholaſticorum elogia Doctoris Angelici, Seraphici, ſubtilis, illu-

---

factum est apud homines, ſive in re civili, ſive militari, ſive litteraria. Praeſertim hiſce honorum calcaribus debemus multam lucem, qua ſub inſtauratae eruditionis initia, ſpiſſa ignorantiae caligo diſſipata est. Illud enim est omnium ingenium hominum, ut otio diffluant potius, quam improbos amplectantur labores, niſi ſe inter reliquos aliquo huiuſmodi titulo florere aliquando ſperent. Nec refert, quod multum ſaepe tumoris, ſaepe falſitatis multum, ſaepe puerile non nihil hiſce titulis inſit. Inde namque aliorum excitatur ſollertia; inde ſibi quiſque cavet, ne titulis fallatur: quare res ipſae pernoſcuntur melius, veritas magis expenditur. Chrysol.

(1) *Taceo*) Nec minus tamen huc pertinent, qui cum forte unum alterumve ediderint opuſculum, *Principis eruditorum* nomen vel ambitioſius affectant, vel acclamari ſibi impune patiuntur. Quibus tamen metuendum ne idem eveniat, quod Tibicini illi, cui *Principis* nomen erat, apud Phaedrum Lib. V. Fab. 7. qui cum Chorum, ipſo intrante, verba occinere audiviſſet:

*Laetare, incolumis Roma, ſalvo Principe,*

ſibi eum honorem deferri ſtulte arbitrabatur. Poſſet et hoc loco eorum tangi ambitio, qui titulos inanes nullo alio lucro redimunt, quam ut alios ſe doctiores prudentioreſque longis paraſangis antecedant: ſed ad hos ſpectant verba, quibus Jupiter apud eundem Lib. IV. Fab. 35. hircos indignantes, quod capellae barbam impetraſſent, ſolatur:

*Sinite illas gloria vana frui:*
*Et uſurpare veſtri ornatum muneris,*
*Pares dum non ſint veſtrae fortitudinis.* Ser.

luminati, mirabilis, universalis, fundatissimi, resolutissimi, quae totidem Scholae Doctoribus (1) κατ' ἐξοχὴν fuere concessa. Illud vero perridiculum, quod de M. Joanne Segero (2), * Poeta Laureato et Ludi oppidani Wittenbergensis Rectore, a viris fide dignis relatum accepi. Curaverat is in tabula aenea depingi Christum crucifixum, quem Segerus il-



(1) *Scholae Doctoribus.*) De horum titulis multa deprehenduntur apud Tribechovium *de Doctoribus Schol. L.IV.* Mollerum *Homonymoscopia Sect.III. C.V. p.* 878. et Baillet *Jug. des Sav. T.* 1. CHAR.

(2) *De M. Joh. Segero.*) Mihi eadem fabula relata est de *M. Joh. Peiskero*, Poeta itidem coronato, et Scholae Wittenberg. Rectore, et quidem ab illo, qui semetipsum imaginem hanc possidere praetendebat. Verum quicquid sit

*........ mutato nomine de Te*
*Fabula narratur.* I. HALL.

* Is natus Gryphiswaldiae 1582. a Reimaro Seltrecht JCto et Com. Pal. ob facultatem scribendorum versuum Laurea donatus est, deinde Vitembergae Con-Rector, paulo post Phil. Magister ac demum Rector factus scholae oppidanae, scripsit Lexicon Quadrilingue, Orationes et Poemata, et in ipsa schola, dum officio suo fungitur, forti apoplexia correptus, altero post die decessit 1637. die 14. Mart. Conf. Buchneri Dissert. Acad. CCCXIV. p. 387. M.

le sub cruce stans Laconice compellabat verbis ex ore ipsius emissis: *Domine Jesu, amas me?* Ad quae Salvator cum amplissima honoris praefatione de cruce respondebat: *Clarissime, pereximie, nec non doctissime, Domine Mag. Segere, Poeta Laureate Caesaree, et Scholae Vitenbergensis Rector dignissime, ego amo te* (1).

Neque vero inficiandum, multum omnino ad fallendos imperitos et indoctos referre, quo quid titulo quave ad-

---

(1) *Ego amo Te.*)
*Quis neget, huic socium quem possis jungere, dignum*, imo terque quaterque, dignum esse Rabulam, amici album sequenti Inscriptione (et properante quidem calamo) locupletantem: *In singularem Domini Possessoris honorem propria manu sua haec addere non gravatus est ejusdem Patronus et Fautor benevolentissimus: Tit. plen. Dnus P. N. J. U. Licentiandus et practicus per integrum triennium longe meritissimus, Advocatus juratus, Patronus causarum ordinarius, et omnium tam Actorum, quam respective Reorum defensor promtissimus, acerrimusque, p. t. quatuor proxime adjacentium praediorum constitutus magistratus supremus et judiciorum ibidem administrator primarius. Dextra pennaque festinante, ob bina fatalia hoc ipso die observanda. N . . . . . . . . A. post genitum humani generis gaudium M D CXCI. die 3. Quintilis. etc.* Thim.

appellatione veniat; quod illi non ignorant, qui vel libellos emittunt in publicum, quibus opus est suspensa hedera, vel ad lectiones aut declamationes publicas populum invitant. Nam ut a declamatoribus faciam initium, omne tulisse punctum sibi persuadent, qui materiam selegerint raram auribusque dignam. Quo pertinet illud, quod de Alano de Insulis refertur, qui cum se de Trinitatis mysterio publice verba facturum divulgasset, incredibilem hominum multitudinem concitaverat; quorum curiositatem castigaturus, ascendit quidem in suggestum, verum cum pauca verba protulisset, *sufficiat vobis*, dixit, *vidisse Alanum*, ac protinus iterum descendens omnium exspectationem fefellit. Atque hinc excogitatum apud nos Pansophorum (1) vo-

Sartor. Cisterc. Bis tert. tit. 20 p. 559.



(1) *Pansophorum*) De his graviter queritur Cl. Lilienſhal in Machiavellismo Litter. p. 96. his plane verbis: *Inter ineptos gloriae, per promissa multa, caupones numerantur, qui in Academiis Collegia Pansophica more pessimo indicunt. Hanc Pansophiam profiteri, et sub splendido eiusmodi titulo juventutem decipere nimis-*

vocabulum (1) videtur ab his, qui ut quaestum faciant, omnes Philosophiae aditus, omnes recessus se reclusuros jactitant (2), cum vix tamen

---

*numisque defraudare, plurimis admodum solemne est: sed solemnis simul est insania. Quantus enim, quaeso, furor, ipsius Dei, qui solus scit omnia, invadere jura? Quanta stultitia, docere aliquid velle, quod in rerum natura non datur? quam misera etiam ista est Pansophia, quae ultra sex ad summum disciplinarum circulum non extenditur? Profecto, aut me omnia fallunt, aut nimis stupida oportet fuisse ingenia Philosophorum antiquorum et recentiorum, qui ferme omnem aetatem sapientiae dederunt, quam nostris juvenibus a Pansophis illis datum est emetiri unius anni tempore.* Publica coerceri lege hominum ille furor, *ex judicio Morhofii Polyh. T. I. L.* 1. *C.* 2. §. 24. deberet; quibus Magistris potentissima ad ignorantiam via sternitur, omnis solida doctrina evertitur, in cathedras, in forum cruda studia propelluntur, pro Philosophis jejuni et strigosi terminorum nomenclatores, pro Mercuriis stipites & trunci ubique in seculi nostri infamiam triumphant. M.

(1) Pansophori isti a Sophistis non absimiles, quos re non verbis persequebatur Socrates. CHRYSOL.

(2) *Omnes aditus se reclusuros jactitant*) Memorandi hic etiam, qui eruditos ad velitationes literarias de qvovis argumento invitant. Quo in genere jactantiae nescio an quisquam superarit Franciscum a S. Augustino Macedum, virum equidem omnibus ingenii dotibus ad miraculum istructum, maximum tamen simul, si quis alius, Thrasonem literarium. Is Romae anno 1658 per triduum, & paulo post Vene-
tiis

men emarcidam quandam ac elumbem Philosophiae partem satis ab-

 sol-

tiis per integros octo dies ad solvendas, quae sibi a quocunque eruditorum ex omni scientiarum ambitu proponi possent difficultates, se obtulit; sicuti testatur Gregorius Leti *Italiae imperantis L.3. c.3.* In mentem venit hic Lullistarum et Kuhlmanni inprimis, qui quemlibet de quavis re vel extemporalia carmina fundere, vel copiose, ornate, promte ad stuporem usque disserere; imo stupidos etiam et omnium rerum ignaros unico scripto suo docturum spopondit, libros doctos, novos, utiles, omni rerum scientia plenos levissima opera edere. Vid. ejus *Prodromus Quinquenni mirabilis*. Cris.

Memorari hic quoque poterat Petrus de Montmaur, de quo supra, ex ipsius quidem Biographi eius nuperrimi de Sallegre consilio, cujus verba huc transcribemus. Ita vero ille. *Je ne savrois passer sous silence un trait propre a faire connoitre sa* forfenterie, *s' il faut ainsi dire. On sait que les Professeurs sont tenus de faire des leçons publiques. Montmaur avoit negligé pendant long-tems son devoir a cet egard, mais a la fin craignant qu' on lui otat sa Chaire, il fit afficher qu' il expliqueroit publiquement HESYCHIUS Grammairien Grec. Il prommettoit dans cet affiche des choses magnifiques en termes extrèmement pompeux, qu' on nommeroit en Latin* sesquipedalia verba, bullatae nugae: *La voici toute entiere. Si on fait une seconde edition des savantes Dissertations que M. MENCKE vient de publier sur la Charlatanerie des gens de Lettres* de Charlataneria eruditorum, *on pourra fort bien y faire entrer nostre Montmaur.*

Cum Deo *PETRUS de MONTMAUR*, Graecarum Literarum Regius Professor, Hesychii recondita eru-

solvant et exhauriant. Plura dicturus eram de iis, qui speciosis nominibus Auditores ad scholas suas pertrahunt et allectant (1), nisi verendum mihi esset

eruditione refertas Glossas visendas, fruendas proponet, lectissimis parechiresibus earundem praestantiam patefaciet; Autorem eximium non fuisse alienum a Christianis pietatis nostrae sacris, praefationis epicheremate demonstrabit; arduis vocibus explanationem asseret, vetustis novitatem, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, in omnibus vero Deum quaeret et in Deo omnia, quo digna (ipso faciente) proferentur, ne quid piis cogitationibus, his praesertim sacris statis ceremoniis et esurialibus feriis, pereat. Τὰ καλὰ ἔξω. Die Martis hora 7. antemeridiana, in Auditorio Franciae novo.

*Remarquez qu' il destine pour ses leçons une heure où presque tout le monde dort, savoir a sept heure du matin. Aussi n' avoit il presque pas d' Auditeurs, et on l' appelloit par derision* la Voix de celui qui crie au desert. *V. Hist. de Pierre de Montmaur Preface pag. 71. seq.* VAND.

(1) *Pertrahunt et allectant.*) Quales sunt qui se viam monstraturos ad obeundum Consiliarii intimi munus, vel arcana statuum intima reseraturum, vel artem ditescendi gratis docturos spondent, non minus interim ad Grammaticos Logicosque cursus parati, ut similes videri possint illi, qui in celebri Academia publice valvis hanc schedulam affixerat. *Quisquis opus habeat Ephoro morum et doctrinae, vel Secretario, vel Praeceptore, vel Famulo, vel Servulo, mea utitor opera.* VAND.

*Ecquis*

esset, ne aliqui minus aequo animo la-

*Ecquis Dominum emere cupit?* Sic Diogenes in foro publico clamabat, ubi venum expositus erat a piratis, qui eum ceperant inque servitutem suam redegerant. Quumque adstantium quisquam, *Quam artem doctus esset*, interrogaret, statim respondit: *Hominibus imperare novi. Roseli*, celebris ille *Roseli*, qui itineribus suis per universum inclaruit orbem, cujus et vita in Hollandia typis vulgata est, *Roseli* ille, inquam, qui adhuc (A 1716) in vivis est, Hagae Comitum celebratissimam incolens Tabernam *Caffeariam*; verbo, omnium circumforaneorum sui generis facile princeps, majus quid fecit illo, quod in observatione praecedenti relatum est. Offerebat quippe prolixas satis literas petitorias magistratui Ultrajectino, rogabatque, ut vel Professor Linguarum Orientalium et Occidentalium, vivarum et mortuarum, Mathemaium, Philosophiae, Historiarum, immo ipsius etiam Theologiae, si placeret, constitueretur: vel ut saltem praeparatio venditioque libera potionis, quam *Caffe* vocant, sibi permitteretur. Quo obtinebat, ut ultimae petitioni annueret Magistratus. I. GALL.

Multum vero imprimis ad fascinandos Auditores memoria valet, prompta ac praesens, sive eam naturae beneficio acceperis, sive arte aliqua, quam multi jactant, comparaveris. Memini, cum in Fr. Academia studiis operam navarem, Professorem quendam extra ordinem saepissime in suis lectionibus historicis ad variarum gentium Commentarios, Gallorum imprimis, provocasse atque integras paginas prompte recitasse, quod dum faceret, ipsum librum Auditoribus cum stricto gladio porrigebat, continuo, *confodite me*, inquiens, *si vel verbulo erraverim*. Idem nunquam nisi gratis praelegebat, et si quis pretium offer-

laturi ſint, artes ſuas fraudesque tam manifeſte prodi (1).

Ve-

offerret, eum torvo vulto intuens acriter increpabat, quod suam doctrinam aere pensari posse crederet. VAND.

Annotationis hujus Autor Professorem hunc non indicavit; verum oculatum se hujus historiae testem fuisse adseverat. Nescio an non Justus Lipsius hic fortasse intelligendus sit: invenio enim in elogio ejus (*Teissier T. II. Add. p.* 389 *Ed. Ultraj* 1696) historiam quandam huic valde similem. Non alia certe differentia occurrit, quam quod ibidem de solis Taciti annalibus, hic autem in adnotatione de omnium regionum et Galliae praesertim historicis sermo sit. Memoriae quippe infixerat Lipsius Annales Taciti; spondebatque, se ad verbum recitare posse omnia loca operis hujus desiderata, consentiens quoque, ut stricto pugione adsisteret sibi aliquis, eumque corpori suo immitteret, si vel verbulo ab autore suo discessurus esset. I. GALL.

(1) *Tam manifeste prodi.*) Mundus scilicet opinionibus regitur, et decipi vult. Vix Cajus Mscta sua ex centum libris corrasa et aliquot mensurae pondo excedentia Auditoribus balbutiente lingua praelegere nouit, qui nihilominuus eosdem thrasonicis Programmatibus allicere conatur. Atque, si hae forsan piae fraudes successu careant, emissarios subornant et coryphaeos, qui corrupta vina commendent aliis et tantum non pro Falerno obtrudant. Alius ex reliquorum contemtu sibi gloriam parare audet. Mevius nova inventa crepat, et methodos recens a se excogitatas ubique extollit. Verum quis omnes tot Circulatorum machinationes recenseat? I. HALL.

Citius ille:

*Myrmecum populos numeret, Lybiaeque cicadas.*

Re-

Venio ad librorum titulos (1), in qui-

Redit hac occasione in memoriam ille septem Artium Magister, qui uno impetu XXI. Collegia quotidie habenda ex valvulis intimarat, a Conticinio lecturus usque ad mediae noctis inclinationem. Idem tres reliquas horas aptissimo consilio distribuens, unam prandio, alteram coenae, tertiam denique, partim reliquis negotiis (praeparationi imprimis ad tot Collegia) assignaverat. Quid vero, si hoc non est plurimum vitae tempus Auditorum commodo consecrare velle? Sic excusandus est vir diligentissimus si aut cum Cantero horas ad clepsydram diviserit, aut cum seniore Vossio ipsum etiam Schraderum, non ultra alterum horae quadrantem confabulari secum passus fuerit. Q. Marc.

(1) *Ad librorum titulos*) Cicero orationes contra Antonium appellavit inepte *Philippicas*, eo nomine, ut Demosthenem imitaretur, quas ille in Philippum, Macedoniae regem habuerat, Appianus IV. Civil. f. 306. Coloniae anno MDII. editum Lexicon Werdeni sub titulo: *Gemma gemmarum*, quis existimaret, titulum hunc indicare lexicon? vide du-Cangium praef. gloss. med. Latin. n. 51. p. 41. Prodiit quoque Martini Crusii *corona anni*, quae expositiones evangeliorum et epistolarum e concionibus Theol. Tubingensium Graeco idiomate consignatas complectitur. vid. Goetzii Principem Graece doctum p. 40. Huc illi quoque pertinent, qui nomina veterum auctorum libris suis adtribuunt e. g. Petri Berthrault Florus Francicus Paris. 1630. Sylvii Florus Anglicus Lugd. Bat. 1651. Joachimi Pastorii Florus Polonicus Ged. 1670. Jo. Nadangi Florus Hungaricus Amst. 1663. Viti Beringii Florus Danicus. Gellii Noctes Atticae titulum praebuerunt aliis libris,

quibus nihil magis quam fidem desideres: nam cum magnifice plerique instructi sint et nihil non promittant insolitum ac magnum (1), saepissime deludunt corvos hiantes (2). Jucunda sunt admodum quae de Graecis

C.

bris, Noctibus Theologicis, Christianis, Genialibus, Solitariis, Africanis, Brixianis, Parisinis, Romanis. Sorellius libro *de la Connoissance de bons livres p. 4. seq.* Machiavellismum hic subodoratur. CHAR.

(1) *Insolitum ac magnum*) Valentinus Weigelius *Capturam* suam *auream* fastuosissima inscriptione commendavit, *quod ad res omnes sine ullo errore agnoscendas multis doctissimis incognita quidem etc.* Seldenus L. II. de libris c. 3. quod agit de *eruditorum thrasonismo*, hic evolvendus p. 317. Contra vanitatem titulorum in libris graviter declamat Dan. Bartolus. cuius verba citat Spizelius in Literato felici p. 423. SCRIB.

(2) Quid quaeso insulsius *anecdotis*, quibus res litteraria augeri quotidie sperant annalium scriptores? quid inficetius, quid incomptius quibusdam libellis, quibus nostra poesis quotidie magis obruitur? qui nihil habent frugi, nihil boni, nihil veri. Juro per omnes Deos, eum qui proxime publicae luci commendavit nescio quid poeticarum quisquiliarum sub *Entusiasmo del Parnaso* titulo, prorsus quid sibi titulus vellet, ignorasse. Oh! ridiculum caput! Non enim sacro furore ejus pectus anhelum inspicitur; at longius movente Deo, pectus ipso marmore, qua maxime furit hyems, frigidius. CHRYSOL.

C. Plinius Secundus refert, ubi *Inscriptionis*, inquit, *apud Graecos mira felicitas:* κηρίον *inscripsere, quod volebant intelligi favum: alii* κέρας ἀμαλθείας, *quod Copiae cornu, ut vel Lactis gallinacei* (1) *sperare possis in volumine haustum. Jam Musae*, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμὼν, πίναξ, σχέδιον; *inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit. At cum intraveris, Dii Deaeque, quam nihil in medio invenies* (2). Ha- Nat. Ist. L. I. p. 8. seq.

---

(1) *Lactis gallinacei.*) Curiosa sunt, et lectu dignissima, quae elegantis Vir ingenii, Naudaeus, occasione Distichi:

*Affluа divitiis, omni virtute redundans*
Gallinae, *ut fertur*, lac *reperire queas*.

ad hunc Plinii locum monet, in cit. Patroni sui Apol. p. 123, 124. THEM.

(2) *Quam nihil in medio invenies.*) Jo. Riderus, Pastor primo prope Londinum, deinde Episcopus Ladensis in Hybernia, Lexicon emisit Anglico-Latium, cui Bibliothecae nomen indidit, quem propterea sequenti Epigrammate perstrinxit Martialis Britannuss Io. OWENUS:

*Quid sibi ridendi vult Bibliotheca Rideri?*
*Unus enim non est Bibliotheca liber.*
*Verborum cum theca sit haec, non theca librorum,*
*Lexicon hoc dici Dictiotheca potest.* CRIS.

Ad observationem hanc, bona cum autoris ejus venia, animadvertere liceat, hoc epigrammate minimum

Hactenus Plinius. Quemadmodum vero hunc morem ipsi paulo post Romani, eodem teste, imitati sunt, ita nostros homines facetissimos titulos excogitasse, mirum nemini videbitur. Hinc tot videas antiquitatum ac elegatioris Latinitatis Thesauros, quos cum evolves, pro thesauris carbones inveneris; tot Philosophiae ac reliquarum scientiarum Nucleos absque nucleo, arenam sine calce; tot sales et facetias, in quibus ne micam quidem salis inveneris; tot denique Atlantes et Theatra historica, de quibus merito exclames Catullianum illud:

*Annales Volusi, cacata charta!*

Taceo tot claves aureas (1), methodos

mum non meruisse *Owenum* Martialis Britannici nomen. Quid enim exhibet nisi lusum vocabulorum puerilem, et ad classem falsarum argutiarum et Quotlibetorum merito relegandum? I. GALL.

(1) *Taceo tot claves etc.*) Spissum enim Volumen his et similibus stultitiae exemplis repleri posset. Quot quaeso Curiosissimi, quot Fundamentales, Peculiares, Elegantissmi et (sit venia verbo) Galantissimi Tituli quotidie oculos nostros feriunt. Illud vero

dos regias, gradus ad Parnassum, Oceanos macro-micro-cosmicos (1), clypeos Baillet Jug. T. I. C. 13.

peos

vero iis artibus efficitur, ut simpliciores ad pecuniam dilapidandam deducantur; maxime, cum hoc plerumque sit librorum fatum, ut quo peiores sint, eo plures recipiant emptores, eo quod paucissimi dignoscere queant, quid solidum crepet? Vapulant ob hanc moriam imprimis Germani nostri Patino in Libello Gallico *L' Esprit* dicto p. 188. Referendi autem et huc sunt illi, qui titulos suos ab aliis mutuantur, scripserunt e. g. aliqui celebriores Viri *Pericula*; quidni Caji charta idem nomen in fronte gerat? quot Calendaria, Memorias, scripta in Ana desinentia, Introductionesve numeramus? nec dubium est, quin in posterum plaustra Cautelarum simus habituri. Novi certe homuncionem, qui simile quid jam tentavit. At at

*O Imitatores servum pecus! ut mihi saepe*
*Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!* I. HALL.

Insignem inter hos libros foecundos locum merentur Acta Eruditorum Lipsiensia, ad quorum exemplum tot Acta literaria, latina, germanica, Semi-erudita et nescio quibus aliis Epithetis onerata prodierunt, ut idem prope de illis, quod de Aristippo olim dici queat, quem nimirum

. . . . . *omnis decuit status et color et res.*

Conf. Baillet *T. I. des Jugem. c. 13. p. 534. seqq.*
THEM.

(1) *Macro-micro-cosmicos.*) Non ignoro Bailetum (p. 531 T. I. Judiciorum) ob hanc Epigraphen insultasse celeberrimi nominis Medico, qui eadem *Notitiam suam de discrimine inter motum aquarum et sanguinis* insigniverat. At enim vero si libere, quod res poscit, dicendum est, malitiose hic egit censor, aut im-

peos veritatis, fortalitia scientiarum, inventaria cerebri humani, et libros alios

imperite. Novimus omnes, hominem antiquitus Microcosmum dici, et quoad structuram internam cum ampla Mundi terraquei machina conferri: hac comparatione semel admissa, quid convenientius cum Oceano, et qui in illum devolvuntur, fluviis componi possit, quam circumflua corpore toto sanguinis massa, ego quidem nihil invenio, nihilque aliud suo hoc judicio egisse mihi videtur Bailletus, quam ut suam in elegantiis Physicis ignorantiam prodiderit. Potiori forsan jure circa *Anatomiam aquae* haesitabunt Critici rugosi, quam Sancassanus Med. Patavinus nuper publicavit. Conf. Nova Litt. Lips. An. I. N. XLIV. p. 350.

Addi posset contra *Bailletum*, librum, cujus ipsi rubrum tantopere displicuit, nempe *Oceanus macro micro-cosmicus*, nihil adeo singulare vel nimis affectatum habere, quippe eruditis scriptum non feminis, nec vulgo. Omnes autem rationes hae conjunctim licet sumtae fuerint, non probant mea saltem opinione, parum intellexisse Bailletum elegantias physicas, vel idiotam eum fuisse, aut vitiligatorem. Immo adseverare ausim, paucos admodum reperiri, qui non rubrum illud quaesitum nimis, consarcinatum Trasonicumque judicent. Ita legimus *Jug. des Sav.* T. I. p. 531. *Ainsi tant que j' ignorerai ce que veut dire l'Ocean Macro-microcosmique, je ne me sentirai peutêtre pas pressè de le voir et si je consultois un Grammairen pour m' expliquer ce Titre, il auroit raison de me renvojer à un Geographe, et celui la à un Physicien, sans que les uns et les autres s'avisassent de m' adresser à un Medecin, pour me dire que ce Titre signifie le raport qu' il y a entre le mouvement des Eaux et celui du Sang.* I. Gall.

alios sexcentos (1), quibus, ut emptores allicerent; ex splendido tituli or- D na-

(1) *Et libros alios sexcentos.*) Videas hic etiam Lullistas stultitia reliquos longe post se relinquere suosque vocum inanium catalagos titulis magnificis *Artis artium*, *Artis universalis*, *Artis magnae sciendi*, *scribendi*, *disserendi*, *Operis operum*, *Fluri Scientiarum*, *Viae regiae ad omnes scientias et artes*, sexcentisque aliis insignire. Hos inter Claudius Clemens Venetiis 1651. emisit *Prodromum Scientiarum artiumque*; quo specioso sub emblemate, quis credat, non nisi Logices praecepta exhiberi? Commode huc etiam referas hunc operis a Savanarola quodam promissi titulum: *Orbis Literarius Universus, exhibens Materias et Scriptores in omni Scientiarum et artium genere, quocunque idiomate ab initio rei literariae usque ad praesens, expressis ut plurimum anno, loco et forma editionis librorum et in eos Commentariis, Notis etc. Opus ex mundi totius Bibliothecis praecipuis concinnatum, ordine Indicis generalis materiarum alphabetici dispositum et characteribus linguarum Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae, Graecae, Arabicae, Persicae, Armeniacae, Germanicae, Aethiopicae, Aegyptiacae, nonnunquam elaboratum, Italis, Gallis, Hispanis, Boëmis, Pannonis, Anglis, Belgis et caeteris exterarum Nationum Scriptoribus plerumque Latino, interdum vernaculo sermone oppositis. Autore P. D.* Raphaele Savanarola, *Patavino ex Clericis Regularibus vulgo Theatinis S. Theol. Professore*, KEND.

Judaeorum quoque Magistri mirifice sibi grandioribus titulis placent, quos plerumque ex sacris Literis depromunt. Nos saltem unum adducimus librum ritualem qui jura et consuetudines Hebraeorum complectitur. Ejus titulus est כל בו, kol bo, *omnia in eo*. Vide Buxtorfii Biblioth. Rabbin. p. 98. SAL.

natu hedera suspenditur (1). Nonnulli titulos multis allegoriis ac figuris rhetoricis exornant, seu potius involvunt, ut, quid propinare Lectoribus velint, vix possis, omni licet ingenii vi adhibita, divinare (2). Quis enim

(1) *Hedera suspenditur.*) Spectat huc etiam Ludimagister ille Hudstadii, oppido ignobili, nisi quod suum mercatu claret, qui cum observasset, libros in usum Delphini excusos avide conquiri, et magno aestimari, in titulo Rudimentorum Grammaticae (*Donatum* vocant) quae per tabulas edebat, haec verba addiderat; *in usum Delphinorum Hudstadensium.* VAND.

(2) *Ingenii vi adhibita divinare.*) Hi illi sunt, quorum titulis non Lectore opus, est sed Apolline, quique cum. Anonymo Gallo *Stomachationem boni publici* vocant paucas plagulas, in quibus census regius exponitur: qui cum Pseudonymo Hispano, Miscellanea sua philologica L. Capitibus distincta, *Pentacontarchum* inscribunt, *sive quinquaginta militum ductorem*, *stipendiis* Ramiretii de Prado *conductum*, *cujus auspiciis varia in omni Literarum ditione monstra profligantur*, *abdita panduntur*, *latebrae ac tenebrae pervestigantur et illustrantur*: qui demum cum Jacchetto Italo, *Iconologiam Salvatoris et Kariologiam Praecursoris* scribere malunt, quam disquisitionem de Imagine Christi ad Abgarum missi &c. Adeat, qui centena talia cupit, Thysium Comment. ad A. Gellii Praef. N. A. Salmas. Exerc. ad Solin. et qui fusissimus est, Baillettum L. I. cap 13. integro. Addimus ex nostris, Joh. Mylium, Rhythmologum Germanum, precationes

enim in Johannis Haji *Triumpho veritatis, ordinati evangelii quadriga invectae, Sanctorum Patrum exercitu stipatae*, qui Duaci anno superioris seculi nono prodiit, Harmoniam quandam Evangelistarum quaesiverit? Aut quid permovit Medicum Lipsiensem, qui ante complures annos hunc libello suo titulum fecerat: *Jus publicum, hoc est, theses Medicae de dolore capitis?* Quid memorem *Fratrum Roseae Crucis Famam escanziam reducem, buccinam jubilaei ultimi, Evae hyperboleae praenuntiam, Montium Europae cacumina suo clangore ferientem, inter colles et convalles Araba resonantem?* Quid *Amphitheatrum Sapientiae aeternae solius*

Alegambe Bibl. S.J. p. 459. 460.

Naudè Hist. des Fr de R. C. p. 96 seq.



nes suas titulo *geistreicher lebendiger Hertzens-Funken unt krafftiger Stuke des besten Kirchen-VVeyrauchs* exornantem. Itemque pium illum, qui Parentationes binas, facta aptissima ad Defunctorum nomen allusione, alteram *Temonem* inscripsit *ad sydera tendendentem*, alteram, *Follem spiritualem vento consolatorio turgidum, acrophysio S. Scripturae armatum, manuque Samaritani applicatum*. Sancta simplicitas! Cui vero mederi nostrum non est: scilicet:

*Curentur dubii Medicis majoribus aegri*. THEM.

*lius verae*, *Christiano-Cabalisticum*, *divino-Magicum*, *nec non Phisico-Chymicum*, *tertriunum Catholicum*, *instructore Henrico Cunrath etc.* aliaque titulorum portenta (1), de quibus idem dixeris, quod de Cumaea Sibylla Virgilius Poeta:

Æn. 6. *Hor-*

---

(1) *Titulorum portenta.* ) Pertinent huc quoque hybridorum et trilinguium Titulorum Architecti, nec non ii, qui inscriptiones Latinas, quanquam tritissimas; addita versione vernacula illustrare solent; quod quidem in Disputationibus Juridicis hucusque imprimis obtinuit: quanquam et aliis Eruditis lepidum inventum non displicuisse, copiosa specimina testantur. Prostant ubique in tabernis, qui *de Sutoribus eruditis*, vulgo *von gelehrten Schustern*, de *doctis Nicolais*, *von gelehrtem Nickeln*, & nescio de quibus aliis egregia atque erudita Schediasmata, vulgo: *hubsche glehrte Tractatgen*, conscripserunt. Neque ii praetermittendi, qui methodo Socratica usi, plus uno saepe Titulo quaerunt,

*Quam vel mille libris tibi solvere posset Hometus.*

Quale est illud: *Le* Quare *heretique repondu et refuté par le* Quia *catholique*. Non Minus ac *El-Porque* sive *le Pourquoi*? Ribadeneirae apud Bailletum d. l. p. 524, Et Germanica illa; *Wer hat das Kalb ins Auge geschlagen? Wie viel hat denn das* interim *verborgene Turken hinter ihm* nuperrimque Jesuitae, *Wie kommts denn, dass nichts kommt?* Cui posteriori condigne opposuit magnus Theologus Nostras suum: *Hier kommt etwas*. Aptandum quippe erat patellae operculum. Them.

*Horrendas canit ambages, antroque remugit*
*Obſcuris falſa involvens* (1).

Quandoquidem vero de libris dicere coepimus, non poſſumus hoc loco eos praetermittere, qui ſe beatos imprimis exiſtimant, ſi nullum facile menſem (2), annum nullum abire patian-

D 3

(1) *Obſcuris falſa involvens*.) Nunquam igitur nigrum ex rubro iudicare ſolitus, Binelli potius conſilium ſequor, quod Gualdus in vita eiusd. p. 334. exponit. Plurimi certe Lippenii, Bolduani, Draudii, aliorumque errores ex titulis perperam intellectis orti ſunt. Copioſa vero inexplicabilium Titulorum exempla ſuppeditant Hebraeorum, Italorum et Hiſpanorum ſcripta; quanquam ea apud Gallos etiam Noſtrateſque non raro proſtant. I. Gall:

(2) *Nullum facile menſem*.) Apprime huc quadrat, quod de Alphonſo Toſtato Andr. Schottus Bibl: Hiſpan. T. II. p. 207. refert, ſi numerus dierum quos vivendo ſuperavit, cum ſcriptis eius componatur, cuilibet diei, a nativitate ad obitum ipſius, tria amplius folia tribui poſſe. Similiter de Felice Lopez de Vega Carpio affirmat Nic. Antonius in Bibl. Hiſpan. quodſi eadem ratione computes, ſingulis vitae ipſius diebus quinque ampliora ex ſcriptis eius folia convenire. Sed volupe fuerit cognoſcere, qua ratione tot tantaque ſub manu naſcantur volumina. Eam aperit nobis Joach. Fortius Ringelbergius libello de ratione ſtudii c. 24. ubi ita inſtruit Polygraphum: *Dic chalcographis, parent ſeſe, librum te dare velle ex-*

tiantur, quin ex foecundissimo ingenio aliquid promant novi; vehementerque commoventur, quando foetus suos, quos tantopere amant àc fovent, in Doctorum ephemeridibus praetermissos vel saltim non omnes sat multis elogiis ornatos, ac impensius viderint Lectoribus commendatos. *Nimirum*, ut utamur verbis Viri eruditi, *in foecundo vivimus saeculo, quo, ut non nemo lepide pronuntiavit*, Eunuchi

Lilienthal de Machiavell. Litter. §. 4.

---

*excudendum, etiamsi ne paginam quidem paraveris. Tum facile totam voluminis speciem animo concipere, inde singulas partes leviter in comoediarum argumenti modum describere: denique quotidie, quantum illis satis erit, absolvere poteris. Quum sic inceperis aliquid, perficere debes velis nolis.* Haec Fortius, ipse artificio hoc in libris suis conscribendis nunquam non usus. Idem de seipso paulo ante scripserat: *Si vita dabitur mediocriter longa in animo est opuscula millena (idque summa, quantum in nobis fuerit, adhibita cura Latini sermonis,) ante mortem conscribere, quorum corpori universo inde titulus erit Chilias. Nec prius desistere certum est quam isthaec, quae dixi, perfecero, nisi mors invitum opprimat. Ex hoc numero libellos nuper undeviginti absolvimus, speramusque nos brevi ad centum, hoc est decimam Chiliados partem perventuros.* Cris.

Multi sibi persuadent eruditissimum esse illum, qui magnum librorum numerum luci publicae exponit, quos delineatos vide, si vis, in *Quinct. L. I. C. VIII.* I. Gall.

nuchi gignunt et mulae pariunt, *id est, ubi scribendi iſta prurigo multos adeo corripuit, ut ſibi perſuadeant, orbi erudito ingenti detrimento futurum, ſi cogitationes ſuas, quibus mire ſibi placent, privatorum parietum carceribus includant. Adeoque ſingulis fere menſibus concipientes, ſe ipſos, nemine urgente, praecipitant, coecosque catulos pariendo in hoc ſolum gloriantur, nullis ſibi doloribus enixos foetus conſtitiſſe: in hoc unice intenti, ut in officinis librariis chartarum ſuarum faeces, in Catalogis vero librorum nomina ſua infauſta conſpiciantur*. Quin et eo proceſſit effrenis quorundam ambitio, ut, cum toties tabernis librariis ſcripta ſua nequicquam obtuliſſent, immenſos ſumtus evulgandis illis facerent, Ulyſſem Aldrovandum imitati, qui centena millia totumque adeo patrimonium in editione ſuorum Operum abſumpſit (1), L' Eſprit de Patin.



(1) *Patrimonium in editione ſuorum operum abſumpſit.*) D.J. in recenſione noſtri operis (*v. Journal. Liter.* 1715. *T. VII. p.* 163.) addit exemplum aliud. *M. de Marolles*

quae publicis Bibliothecis, ut liberalitatis suae aeque ac doctrinae exstaret monumentum, gratis inseruit (1).

Praeterea fertilissimi Scriptores illi, quo magis per ora volitent eruditorum, nullam facile lucubratiunculam aut declamatiunculam emittunt, quin excellentis cuiusdam viri nomen praeponant (2), sive quod famam, quam avidis-

*rolles, Abbè de Villeloin, faisoit imprimer d' ordinaire ses Ouvrages a ses propres fraix : et meme pour pouvoir imprimer ses Ouvrages, il etoit souvent reduit a vendre ses Livres; c' est ce qu' il fut obligè a faire en imprimant sa traduction d' Athenèe*. Vand.

(1) *Gratis inseruit*.) Vanitas haec in memoriam mihi revocat illum, qui linguae suae beneficio dives factus (eloquentissimus enim erat) maximam facultatum suarum partem statuae aureae fundendae impendebat, quam sibi ipsi consecratam in Delphico Apollinis Templo ponebat, aeternum vanitatis suae monumentum posteris relicturus. *Entret de Balzac p.* 88. I. Gall.

(2) *Nomen praeponant*.) Novum hodie genus inclarescendi invaluit, per epistolam nempe a Viro magni nominis libro praemissam. Cujusmodi hominem digne non ita pridem excepit Vir quidam celeberrimus, qui cum praecibus eius fatigatus tandem voti eum damnaret, id sibi statuit epistolae argumentum, ut salse traduceret homines molestissimos, qui Praefationes hujusmodi viris doctis extorquent. Longe liberaliorem hoc in negotio se gessit non nemo,

dissime aucupantur, illorum commendatione consequi se posse sperent, sive quod, ut Apion quondam Grammaticus, quem Tiberius Caesar *cymbalum mundi* vocabat, immortalitati donari a se credant, ad quos aliquid composuerunt(1). Hi sunt illi, qui dum donant suos libellos Maecenatibus, tantum abest ut potius immenso pretio ven- Plin. H. N. L. I. p. 10.

mo, qui auctore invito, &, quod rem ipsam ob loci, ubi liber imprimebatur, distantiam impedire non posset, graviter saltem indignante, Diatriben lucubrationibus ejus praemisit commendatoriam, eamque, ut obiter id addam, Viro inscripsit in orbe literato longe celeberrimo, qui ad libri nominisque ignoti conspectum quaesisse fertur:

*Qualis et unde genus, qui sint tibi, Jane, penates?* atque miratus esse dicitur, se homini tam familiarem esse. KEND.

(1) *Composuerunt.*) *Si gloriam magnitudinemque famae quaeris; nihil prorsus magis eo facere potest, quam quas ad te dare soleo litteras.* Sic Epicurus ad quemdam palmarium Regni administrum. Seneca id testatur additque: *Quod amico suo promittebat Epicurus, idem ego tibi promitto, Lucille. Est mihi apud posteros fides et auctoritas, immortaliaque facere possum nomina eorum, quorum libuerit.* Entret. de Balz. p. 89. Graeco, Romanoque Gallum etiam jungamus non minus arrogantem, verum minus eruditum: *Quand la Serre adressoit un livre à quelqu'un, il lui disoit hardiment: Ça dedi, Monſieur, je vous immortalise, cela merite quelque reconnoissance. vid. Richelet.* I. GALL.

vendant (1), chartaceis quippe munusculis istis munera aurea, torques, uniones captantes. Itaque diligenter expiscantur, quos omnium gratissimos habituri sint inscriptionum suarum remuneratores, quod in Francisco Hotomanno patuit, qui observationes suas dedicaturus erat JustoReubero, si centum ab eo Joachimicos praemii loco acciperet; verum is quidem tanti emere laudum suarum, quarum erat alioquin appetentissimus (2), cantilenas

Epist. Hoto. 164.

(1) *Vendant.*)Georgius Coelestinus surripuit Chytraeo historiam Augustanae Confessionis, ut nova dedicatione praefixa, captaret munus. Idem Senatui Argentoratensi remisit pecuniam, quae pro eleganti, ut putabat, dedicatione, nimis ei exigua videbatur. Vid. *Observ. Halens. praef. Tom. III. p.* 18. Scarronus, satyrarum celebris auctor, librum quendam cani suo minori dedicavit. In additionibus ad Observ. Halens. p. 289. dicitur: *Dedicatio librorum est species mendicandi, mendicare vero non pertinet ad eruditionem.* Char.

(2) *Alioquin appetentissimus.*) Postulaverat enim iam antea Reuberus ab Hottomanno, ut publico ipsum Elogio mactaret. Conf. Epistola Hottomanni CLXXXI. Eiusmodi animalculum gloripetum erat et ipse Cicero, qui Epist. 12. L. V. familiarium, his verbis Lucejum Historicum compellat: *ut me ornes, postulo,* rogo

nas noluit(1). Quidam et, ubi haud satis spem ipsorum impleverint ii, quibus scripta sua consecrarunt, mox priores titulos resecant, novosque patronos quaerunt, quorum marsupiis insi-

*rogo etiam vehementer, ut ornes mea vehementius etiam quam fortasse sentis, & in eo leges historiae negligas, amorique nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare*. I. Hall.

(1) Praetereundum heic non est multum hoc nostro aevo hasce laudum cantilenas eviluisse. Non solum litterarum cultoribus iamdiu Maecenates desunt, quibus libros inscribant; verum postquam illi exceperint tutandos, iam tum maxime officii obliviscantur sui. Audies tum ipsos ore durissimo sic loquentes. Quis es? quis mihi es? cur meam tibi proximus sum egomet mihi. Quae omnia impudentissime effutiunt, non quod laudum acroama ipsis sit iniucundum, cum contra sint omnium hominum levissimi, gloriaeque quam qui maxime appetentes. At si quis nunc me causam roget, in promptu est; ne scilicet referant, ne habeant, ne gratias agant quidem. Quam indigne nuper actum est cum optimo viro, et bene in litteris elegantioribus exculto Angelo Galietti Sabino, qui *Memorias Virorum illustrium Familiae Miroballae* improbo sane labore conscriptas, Equiti Neapolitano Caesari Miroballo, quo adnitente id oneris susceperat, nuncupavit? Primum, quo eiusdem nuptiae cum Constantia Rospiliosa honestarentur, mirifice acceptus labor commendatusque; tum postea illius minuendi studio, multas magnanimus Eques commentus est caussas. Quid pluribus mo-

sidientur (1). Qua in re, nisi me omnia fallunt, Puteanus quoque huma-

moror? Res eo devenit, ut ad supremum Vvirorum Consilium jussu Regis delata, et Auctoris sollertiae summa laus, et labori praemium decretum est. Chrysol.

(1) *Quorum marsupiis insidientur*.) Vel plures simul dedicationes diversis operum suorum Exemplis praefigunt, spe lucri certiore; quamvis enim unus alterve patulas fauces non expleverit, reliqui tamen larga manu sua non deerunt. Junioribus forte scriptoribus, aut quibus res angusta domi est, piae hae fraudes condonari possunt; at vero, quando viri aetate pariter et dignitate graves idem perpetrant, tum res est putida. De Georgio Coelestino Praeposito Berolinensi refertur, quod ausus fuerit suffuratam a se Chytraeo A. C. historiam Senatui Argentoratensi inscribere; cui tamen postmodum Coelestinus donum, quod in grati animi signum transmiserant Senatores, velut expectatione sua longe inferius, indignabundus remisit. Vid. Fectius in Suppel. Hist. Sec. XVI. pag. 593. seqq. Ipse etiam David. Chytraeus Regi Daniae, dedicationem suam non large satis remuneranti, succenset in Epist. p. 222. seq. Recentiora exempla suppeterent, nisi odiosa illa essent, nobisque metuenda esset horum Virorum indignatio. I. Hall.

Adde tamen, si placet, Theod. Gazam nobilem ac eruditum Italiae hospitem: Qui Aemoniae patriae dilectis pulsus ab oris, cum Antistiti Romano *Aristotelis historiam animalium* in Latium deductam veteri clientum more dicasset, jamque eandem in codice magni pretii eleganter descriptam ipsemet illi obtulisset; hic, quanti ornatus libri constaret?. quaesiit, et

mani aliquid passus est, qui cum *Historiam Insubricam* Philippo Wilhelmo

et quos eam in rem factos fuisse sumtus audierat, reddi jussit illi, qui amplissimo et Pontificis munificentia vere digno praemio se affectum iri putarat. Itaque Gaza, auro, quod acceperat, protinus in Tiberim abjecto: *Effugere hinc*, inquit, *iubet, postquam optimae segetes in olfactu praepinguibus Asinis sordescunt*, Atque adeo satius duxit in Calabriae latebris se occultare, quam Romae diutius, ubi literae de gradu dejicerentur, versari: ut ex Volaterrano, Vossio aliisque concinne refert Vir doctus in altera de Exul. Graecis dissertatione. Alius aeque pudendum laboris sui praemium aquis mersurus, *periit*, clamabat, *opera, pereant et Nummi!* Adde denique magnum Erasmum, qui graviter in Epistolis de petulanti Typographi sphalmate conqueritur, propter quod indignationem Sereniss. Foeminae incurrens dolendam magni praemii, quod pro dedicatione exspectaverat, jacturam fecit. Sed audiamus ipsum Erasmum tristem casum Cursio suo verbis, quae sequuntur, narrantem: *Cum in Vidua mea* (agnoscis Titulum libri) *quam Sereniss. Hungariae Reginae dedicaveram, ad laudem cujusdam sanctissimae foeminae, inter alia liberalitatem eius in pauperes referrem, haec verba subjunxi: atque mente illa usam eam semper fuisse, quae talem foeminam deceret. Scelestus vero Typographus, animadvertens sibi vindictae occasionem oblatam esse* (erat enim noster in aere ejus) *ex mente illa mentula fecit etc.* Tam vero indigne id tulit vir optimus, Herasmus, ut trecentis aureis ignominiam hanc redimere maluisset. Quoniam nempe

*Non omnes sapiunt, videntque magnam*
*Matronae quoque m . . . . lam libenter.*

Priap. VII. Carm.

Cae-

mo primum, Principi Arausionensi, inscripsisset, mox eam, praemisso *Historiae Barbaricae* titulo, Philippo IV. Regi Hispaniarum consecravit (1). Alii

Ceterum omnes illos alienae munificentiae captatores rubore suffundere potest, classicus criticorum sui temporis, Petrus Victorius, qui neque ullum (verba sunt Imperialis in *Mus. Ital. p.m.*158.) emeriti lucri commodum sibi cordi esse tunc ostendit, cum bis aureorum millia sibi a nobili quodam presbytero oblata, ut Rhetoricae volumen typis recusum, eius inscriberet nomini, constantissime reiecit. Q. MARC.

(1) *Regi Hispan. consecravit.*) Idem jure facere poterat, notus Alchymista, qui Leoni X. P. M. Librum offerens secretissima (quod jactabat) Chrysopoeiae arcana revelantem, & magna hujus sui muneris praemia expectans, nil nisi saccum recepit a sanctissimo Patre, quo scilicet aurum, facile a se, tanto artifice, parandum, reconderet. I. HALL.

Nec felicior fuit Criticus apud Boccalinum, qui Apollini errorum, ex alterius scripto collectorum, Catalagum exhibens, appludarum acervum tanti laboris mercedem tulit. THEM.

Non satis capio, quorsum respiciat praecedentis notae auctor. Probe novi, ex omnibus Boccalini libellis nullum plus gloriae auctori suo peperisse, quam qui inscribitur *Ragguagli di Parnasso*, quique varias in linguas translatus prodiit. Quodsi Annotator ad genus mortis respicere forte voluit, quo Boccalinus obiit, sciendum est, eum ob librum suum *Pietra del Paragone Politico*, quo aulam Hispanicam lacessebat, a quatuor praedonibus oppressum, et sacculis arena repletis vapulantem occidisse; non autem

lii, ut Thomas Fullerus, celebratiſſimus Historicus Anglus, Libros suos plurimis voluminibus partiuntur, singulisque singulos praeponunt Principes aut Optimates, a quibus lucelli quippiam aucupantur. Et quis credat, deprehendi etiam, qui sibi ipsis foetus proprios plenis titulis inscribunt? Quod de H. R. memoratur, qui cum *Historiam belli Dithumarsici* sub Christiani Cilicii nomine conscripsisset, eam nemini rectius quam sibi ipsi dedicandam judicavit (1): ut taceam Andream Schottum, qui, quam ipse collegerat *Italiam illustratam*, a ty-

Nicholson Engl. Histor. Libr. T. II. pag. 91.

Möller. Intr. in Histor. Cimbr. p. 630.

autem ob dedicatum Apollini errorum alienorua catalogum. I. GALL.

Nimirum ita concepta erat nota superior in praecedenti editione, ut facile Gallus ille Interpres longe alium, quam quem intendit ejus autór, sensum inde caperet. Nunc, ubi eam paulo accuratius expressimus, censura sua superſedere poterit.

(1) *Dedicandam judicavit.*) Simile plane quid refert Menius in Anti-Bailleto T. I. art. 72. de Morino, qui sub ficto Vincentii Panurgi titulo An. 1654. Parisiis excusi fecit *Epistolam de tribus Impostoribus ad Clariss. Virum Johannem Baptistam Morin. Doctorem Medicum, atque Regium Matheseos Professorem Parisiis.* THEM.

typographo Andrea Cambierio inscribi sibi passus est (1).

Encom. Mor, p. 91. At nihil, ut Erasmus meus loquitur, omnium suavius, quam cum ipsi inter sese eruditi mutua talione laudant, ac mirantur, vicissimque scabunt, cum mutuis epistolis, carminibus, encomiis sese extollunt, stulti stultos, indoctos indocti. Hic il- pag. 96. lius

(1) *Inscribi sibi passus est.*) Alii non quod pueri in faba se reperisse existimant dum libellos suos sive ipsi Deo, seu SS. Trinitati, seu Ecclesiae demûm militanti, Patriae, omnibusve piis inscribunt. Alii eosdem Apollini, alii Musis, imo quidam ipsis Adversariis suis consecrarunt, quod ultimum fecerunt Sociniani in Catechismo suo Cracoviensi. Verum quam multum inest humanis rebus inane! I. Hall.

H. D. Geographiam Sacram seu Ecclesiasticam Lips. 1704. vernaculo sermone editam tribus summis atque unicis Principibus haereditariis in coelo et terra inscripsit. Christo nempe, Federico Augusto, Principi Electorali Saxoniae, et Mauritio Wilhelmo, provinciarum Saxo-Cizensium haeredi, atque his singulis plenis quidem titulis, in quibus, Christus *Imperator* coronatus coelestium exercitum, electus *Rex* Zionis, *semper Augustus* Christianae Ecclesiae, *Pontifex Maximus* et *Archi-Episcopus* animarum, *Elector* veritatis, *Archi Dux* gloriae, *Dux* vitae, *Princeps* pacis, *Eques* Portae inferni, *Triumphator* mortis, *Dominus haereditarius* gentium, *Dominus* justitiae, et Patri coelesti a sanctioribus *Consiliis*, additis tribus etc. etc. etc. salutatur. Vand.

lius suffragio discedit Alcaeus (1), ille hujus Callimachus; ille huic est M. Tullio superior, hic illi Platone

E do-

(1) *Hic illius suffragio discedit Alcaeus etc.* (Horatius Ep. II. 2. 99.

*Discedo Alcaeus puncto illius, ille meo quovis*
*Quis nisi Callimachus?* Sam.

Occasione laudum ridicularum et modum excedentium, quibus aliqui se invicem obruunt, non possum non adducere partem quandam comoediae Molerianae *les femmes savantes* appellatae, ubi autor alicubi Poetas duos, ingenii foecundioris gloriam aucupantes, introducit, mutuis se elogiis cumulantes ob scientiam suam operave a se edita. Alteri eorum *Trissotin*, alteri *Vadus* nomen indidit.

*T. Vos Vers ont des beautez que n'ont pas tous les autres.*
*V. Les graces & venus regnent dans tous les Votres.*
*T. Vous avez le tour libre, et le beau choix des mots.*
*V. On voit par tout chez vous l'Ithos et le Pathos.*
*T. Nous avons vûs de vous des Eglogues d'un stile,*
*qui passe en doux attraits Theocrite & Virgile.*
*V. Vos Odes ont un air noble, galant & doux,*
*Qui laisse de bien loin votre Horace apres vous.*
*T. Est il rien d'amoureux comme vos chansonettes?*
*V. Peut on rien voir d'egal au Sonnets que vous faites?*
*T. Rien qui soit plus charmant, que vos petits Rondeaux!*
*V. Rien de si plein d'esprit, que tous vos Madrigaux!*
*T. Aux Balades, sur tout, vous êtes admirable.*
*V. Et dans les bouts-rimez je vous trouve adorable,*
*T. Si la France pouvoit connoitre votre prix!*
*V. Si le Siecle rendoit justice aux Beaux Esprits!*
*T. En Carosse dorè vous iriez par les rûes.*
*V. On verroit le public vous dresser des Statües.* etc.

I. Gall.

doctior. Et memini, e nostratibus aliquem, ad capessendum in obscuro oppidulo Paedagogi munus evocatum, cum alium laudatorem non inveniret (1), carmine proprio Marte elaborato sibimet ipsi applausisse, simulque Philureae nostrae, quod tam charum caput amitteret, graviter (2) indoluisse

---

(1) *Alium laudatorem non inveniret.*) Huc pertinet Poeta ille Graecus, nescio quis, qui aves loquaciores docuerat, ut per orbem decantarent, non esse meliorem Poetam, quam quidem N. qui ipsos aliquanto tempore aluerat. Sal.

*Psaphon* iniquo animo ferens contemtum gentilium suorum multas aves has tres voces graecas edocebat: Μεγας Θεος Ψαφιον. Sic institutas eas, avolare permisit, cumque pluribus in locis distincte satis hoc pronunciarent, Dei instar in pretio haberi coepit, unde et proverbium invaluit: *Psaphonis aves.* I. Gall.

(2) *Graviter indoluisse*) Cui vero non dictus est Hylas? Jacobus inquam Vogelius, qui de sese ipso sic satis magnifice censet:

*Deutschland hat zvvar einen Lutherum,*
*Aber noch keinen Homerum;*
*Einen rechtschaffenen Propheten,*
*Aber noch keinen rechtschaffenen Poëten;*
*Doch nut thut Gott ervveken frey*
*Einen VOGEL; der ohne Scheu*
*Zum teutschen Poëten gekronet ist,*
*Von hoben Leuten dieser Frist, etc.*

i. e. *Habet quidem Germania suum Lutherum, nondum ve-*

se. Nec desunt forte, qui et scriptis suis plena laudis et commendationis carmina plurima, velut a Viris eximiis sponte et ultro congesta (1), praemittunt, quae vel composuerunt ipsi, vel servis suis aut clientibus extor-



*vero Homerum; habet genuinum Prophetam, nullum genuinum Poëtam; at vero nunc tandem Deus excitat Avem,* ( id, puta, nominis erat Vati ) *ita animose et suaviter modulantem, ut merito ab Illustribus hujus aevi Personis laurea Poëtica ornatus sit etc.* Absurda haec sunt, non inficior; interim eo magis dolendnm, plurimos etiam majorum Gentium Eruditos vesana hac autophilia & laudum propriarum concupiscentia laborare, adeo quidem, ut charta nos, non exempla deficere possint eorum, qui sibimet ipsis occinere haud erubescunt illud Lucretii:

*Nec sine TE pulchrum dias in luminis auras*
*Exoritur, neque fit laetum, nec amabile quicquam.*

THEM.

*Indoluisse* ) Quis enim admiratoribus suis destituitur?

*Un sot trouve toujours un plus sot qui l' admire.*

*Boil.* I. GALL.

(1) *Ultro congesta* ) Pulchre hunc morem sequeris, dicam? an rides, Mathanasi, qui libello tuo *le Chef d' oeuvre d' un inconnu etc.* non modo tot Theologorum *approbationes*; verum & Bernardi Francisci Rudolphi Astreolidis Elephantii, artium secretarum Magistri & Sholae Utopianae Conrectoris, tum Chilperici Asiatidis aliorumque Carmina Graeca, Latina, Anglica, Gallica, Belgica, longo ordine praeposuisti. M.

serunt; Carolum V. quodammodo Rom. Imperatorem imitati, qui, quo majorem ageret in Hispania triumphum, praeter ea quae Protestantibus debellatis eripuerat tormenta bellica, longe plura conflari in Germania, insignibusque Hassorum et Saxonum ornari jusserat.

Contra haec nonnunquam et antagonistam quaerunt novi libellorum artifices, cujus aemulatione famam augeant, nihilque magis illos pungit, quam cum minime punguntur. Itaque *solertissimas nugas*, ut Seneca loquitur, quae vix somnianti in mentem venerint, comminiscuntur, ut novi aliquid invenisse videantur, cunctaque, quae rationi ipsisque sensibus conveniunt, magna impudentia oppugnant, non alio profecto fine, quam ut illustrem adversarium nanciscantur, cum quo bellissime depugnent. Quod cum ne sic quidem impetraverint, in propria viscera ineptissime saeviunt; quod de Garopolo Poeta constat, qui carminis sui de Carolo M. censuram ipse

Epist. 117.L. 12.

ipse acerrimam vulgavit (1).

Perinde et illorum ridenda temeritas, qui cum vident Virum magni nominis (2) eximium quippiam prodidisse, illud (tametsi sit impar congressus Achilli) protinus velut e specula adoriuntur, modisque omnibus lacerant (3), et sugillant, quod, si is pugnam non detrectaverit, se quo-



(1) *Censuram ipse vulgavit* ) Addit hic D. J. *Journal Liter. 1715. Tom. VII. pag. 164.* in recensione nostri operis: *Grimaret, Auteur de la Vie de Molière, a publié une foible critique de cette même vie, afin d'avoir occasion d'y repondre.* VAND.

(2) *Virum magni nominis* ) Huc pertinent elegantiæ verba Paganini Gaudentii in Obstetrice litterar. disp. VII. pag. 67.: *Haereant semper in luto ignorantiae in humilibus sordibus inscitiae, qui contemtim de praestantissimis sentiunt, loquunturque viris. Vanissimi enim non homines, sed semihomines, et homunciones, patientes nescio quid imaginosi, videntur sibi in excelsa sedere sede, atque altissimo cacumine, sublimique templo conspicere, ut despiciant ingentes animos, consensu seculorum in fastigio doctrinae praestantiae collocatos.* CHAR.

(3) *Modis omnibus lacerant* ) Oscus Rhetor Senecae natus dicitur ad contumelias omnium ingeniis inurendas in Praefat. ad Controvers. L. V. p. m. 233. Antipater Sidonius, Stoicus Philosophus, dictus fuit καλαμοβοας, propterea quod suo calamo Carneadem male excepit. Vid. le Vayer. Tom. XIV. p. m. 308. SCRIB. Di-

que sperant nonnihil famae et existimationis consecuturos in Republica literaria. Enimvero hi plerumque operam et oleum perdunt, cum nemo sit literatiorum hominum tam parum sui memor, quin insania sua frui patiatur inficetos illos et insulsos. Quam in rem unicum producam Casparum Zieglerum (1), qui primus

Dictus ita, non quod cum violentia scripsisset, sed quod linguam haberet difficilem, eoque scripto animi sensa potius exprimere consuevit & stylo quidem satis decoro & eleganti. Igitur loco Antipatris famosus ille Zoilus poni posset, atque ita animadversioni sua constabit veritas. I. GALL.

(1) Poterat Menckenius ex ipsiusmet Grotii potius, quam ex Caspari Zieglieri obtrectatoribus, temeritatis exempla repetere. Quippe cum Grotii novum opus *de jure Belli et Pacis*, sive tractandi ordine, sive distinguendi acumine, sive rationum pondere, totum litteratorum orbem in sui admirationem traxisset; unus tamen non defuit Johannes a Felden, qui libellum temere scripsit in Grotium, erroris accusavit, eique bellum indixit. At huic non pepercit Theodorus Graswinckelius, qui bene Grotii caussam anno egit proxime sequenti. Seldenum quoque edito in lucem Opere suo *de jure Naturae & Gentium secundum disciplinam Haebreorum* aemulatum fuisse Grotii gloriam nonnulli memoriae prodiderunt. Quod si vera praedicant, nec Grotium tam magni aemuli poenituisse oportuit, nec Seldeno aemula-

mus omnium in Hugonis Grotii libros de Jure Belli et Pacis commentatus, adversarium nactus esset Henricum Henninges, qui et ipse sola aemulatione ac famae cupiditate ductus notulas in Grotium ediderat, in quibus subinde nostrum carpit et traducit; tum vero Zieglerus, *iste*, inquiebat, *obscurus homo ex me gloriam quaerit: imprudentissimus sim mortalium, si illius votis velificaturus, Zieglerum patiar cum pusillo isto gladiatore committi.*



lationem illam nobilem, sine jurgiis, sine pudenda invidia, sine maledictis, dedecori fuisse perspicuum est. Non enim Seldenus erat ex iis, qui magnis student inimicitiis inclarescere; jamdiu namque magnum sibi paraverat nomen. Fallitur porro Menckenius, dum scribit, Casparum primum Zieglerum in Grotii libros commentatum. Nullus enim dubitat, quin antea, an. scilicet 1663. pluribus commentatus fuerit in eosdem libros Cl. Boeclerus, & Mullerus an. 1664. Janus quoque Klenckius an. 1665. juris Naturae & Gentium institutiones in publicum emisit, quas a Grotio hauserat. Accedit, quod ipsius Johan. a Felden opella prodiit in lucem an. 1653. quae commentarium etiam recte appellari queat. Qui ergo primum Zieglerus in Grotii libros commentatus est, cujus commentaria non prius an. 1666. publicae lucis frui usura coeperunt? Falsus itaque est Menckenius. CHRYSOL.

Ceterum cum alios suarum laudum cantores non invenerint homines miserrimi, magna verborum pompa (1) suam

(1) *Magna verborum pompa* ) Lucanus opus suum Pharsaliarum IX. 983. ipse ita praedicat;

*Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae,*
*Nam si quid Latis fas est promittere Musis,*
*Quantum Smyrnaei* ( intelligit Homerum ) *durabunt vatis honores,*
*Venturi me Teque legent, Pharsalia nostra*
*Vivet et a nullo tenebris damnabitur aevo.*

quem Lucani tumorem reprehendit J. Caesar Scaliger et Caussinus III. 10. de eloquentia sacra et profana. CHAR.

Non autem solus Lucanus hujus vitii reus est: nullus fere Poeta dubitavit coronas sibi suis nectere manibus, cujuscunque nationis aut temporis fuerint. Immo jure hoc fecerunt, si fides habenda est Menagio, *vid. Antibaillet T. II. Art. CXXXVII.* Elogia nimirum, quibus Poetae se ipsos extollunt, Enthusiasmi fructus sunt, qui eos ob laesas modestiae et decori leges satis excusat. Quid autem de Philosopho vel Grammatico sentiendum est in hoc negotio, quos semper tranquillo animo esse par est? I. GALL.

Thomas Hobbesius scribit Epistola dedicator. element. philosophiae sect. I., quod astronomia sua incrementa debeat Copernico; physica Galilaeo Galilaei; medicina Guilielmo Harvaeo; philosophia vero civilis non antiquior sit, quam liber suus *de Cive*. Jo. Wowerius ambitioni maxime deditus fuit: qui veritus, ne nominis & meritorum suorum laudes oblivione sepelirentur, LX. thaleros testamento illis

suam ipsi eruditionem extollunt (1), prorsus circulatoribus similes, qui suas

illis constituit, qui orationibus suis panegyricis memoriam suam immortalitati essent consecraturi: plura exempla habet Reimannus in Critica de Dictionario Baelii p. 68. D. Jo. Ker, Anglus, dedicavit librum suum, *Observationes de Lingua Latina*, Reginae Angliae Annae, qua in dedicatione dicit, non minimam felicitatis illius Reginae partem esse, quod liber iste ipsa imperante sit editus in lucem: Joannes Jovianus Pontanus hoc sibi elogium composuit:

*Sum etenim Jovianus Pontanus,*
*Quem amaverunt bonae Musae,*
*Suspexerunt viri probi,*
*Honestaverunt Reges, Domini.* CHAR.

(1) *Suam ipsi eruditionem extollunt* (Quos inter referendus Carolus Molinaeus, de quo Balsacius: *Charles du Moulin Avocat a mis à la tete des plusieurs consultations imprimèes*: Ego qui nemini cedo, et qui a nemine doceri possum. v. *Entretiens de* Balzac. *p.* 94. SER.

Idem Balsacius *Entret. p.* 89. e Photii Bibliotheca meminit Graeci cujusdam, qui vitam Alexandri M. scribens, se rerum gestarum hujus gloriam scribendo aequaturum, fuerit gloriatus, et alterum se fore in charta Alexandrum etc. Ibidem ex eodem Photio ridet cujusdam Graeci vesaniam, qui cum novem Epistolas confecisset et tres Orationes scripsisset, illis Musarum, his Gratiarum dederit titulum, tanquam Dearum quidam Parens. Inter Judaeos inprimis jactatores plurimos invenias, qualis fuit R. Jocharan B. Saccai, qui in libro מסכת סופרים c.16. f. 13. ita loquitur: si omnes coeli essent cortices, et omnes arbores calami, et totum mare atramentum, non sufficerent ad scribendam meam sapientiam. SCIRA.

suas panaceas cunctis morbis mederi ac annos Nestoreos et quandam quasi ἀγηρασίαν conciliare, rudi plebeculae persuadent. In his exercitum ducit (1) Gorgias Leontinus, qui maxima animi elatione ex omnibus, ut

(1) *Exercitum ducit*) Stupeo, medius fidius, quoties Charlataneriae Claverianae recordor. De hoc enim Jac. Claverio, homine Italo, refert Erythraeus Pinac. I. n. 3. ipsum nummos trivialibus puerulis, cum variis belariorum generibus distribuisse, quibus nimirum illi pellecti laudes ejusdem versiculis suis celebrarent. Quin eo usque stoliditatis progressus est, ut puerilia haec carmina una cum reliquis vel ab ipso conscriptis, vel ab aliis emendicatis sui Elogiis, duobus Tomis in lucem edere non dubitaret. Nimirum, ut Phaedrus L. I. Fab. 2.

*Virtutis expers, verbis jactans gloriam*
*Ignotos fallit; notis est derisui.*

I. Hall.

In contraria omnia ibat Vir modestissimus Christ. ab Uttenheim, Antistes Basileensis. Hujus enim Statuta Synodi Basileensis cum propter additam eleganteṁ ad Clerum Orationem plurimorum carminibus panegyricis celebrarentur, ille haec sui Eulogia subsequente Tetrasticho deprecari conatus est:

*Parcite Pierides nobis adscribere laudes;*
*Laus virtutis opus: nos mala multa premunt.*
*Exigua est nobis virtus, nec labe caremus.*
*Plangite nos, celebrent Carmina vestra Deum.*

Referente id Paravicino, Cent. tertia singul. N. 82.

Q. Mar.

ut traditur, auſus eſt in conventu poſcere, qua de re quiſque vellet audire: quem imitatus eſt Jacobus Mazonius; qui ad omnia, quae quis percontaretur, copioſe reſpondebat ex tempore (1), nec ullam rem defen- Eryth. Pin. n. 38.

(1) *Copioſe reſpondebat ex tempore*) Recordamur hic eorum, qui omni occaſioni, qua oſtentare doctrinam ſuam poſſint, avidiſſime inſidiantur, & cum in corona ſedent Virorum eruditiſſimorum, continuo aliis ogganniunt, quaſi ilia ſibi rumpi timerent, niſi ſuas nugas, a re licet, de qua ſermo eſt, alieniſſimas, propalaverint. Itaque identidem reliquos interpellant, et veluti rem admodum ingenioſam narraturi ad arrigendas aures ſedulo hortantur. Quo in cenſu fuit Medicus ille Pariſienſis T — de quo Patinus: *Quand il ſe trouve en conſultation avec moi, il ne manque pas de me prier de le laiſſer parler, promettant toujours de belles choſes ſur le ſujet. Je n'en donne quelquefois le plaiſir, quand les affaires ne me preſſent point trop. Au reſte vous jugez bien, quel plaiſir, ou plûtôt quelle mortification que d'entendre un homme qui fait le beau parleur; cette affectation ſuffit pour faire bientot repentir les Auditeurs de leur complaiſante attention. Il ya quelque temps qu'il ètoit queſtion d'une fievre continuë avec de grandes douleurs de tête, il me conta merveilles du ſyllogiſme, du diaphragme et des qualitez de la ciguë. La peſte ſoit du conteur de fariboles, dis, je en moimême, il s'agit bien d'une diſſertation etrangere, quand la diſpoſition du Malade preſſe. Il n'en faiſoit jamais d'autre, et vous euſſiez penſè, que cet homme tout heriſſè de Grec et La-*

fendisse visus est, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed omnium instar hic erit Franciscus Philelphus, qui alicubi magnificentius de se loquitur in Epistolis: *Unum Philelphus audet affirmare, vel insaniente Candido*, ( hoc nomen erat adversario ) *neminem esse hac tempestate, nec fuisse unquam apud Latinos, quantum constet ex omni hominum memoria, qui praeter se unum idem unus tenuerit* (1), *exercueritque et Graecam pa-*

L.XVI. Ep. 34.

*Latins venoit faire plutôt une leson à de jeunes Medicins, que donner son avis dans une consultation en forme. On peut dire de lui ce qu' un certain Proconsul dit injustement à S. Paul dans les Actes des Apôtres:* Votre grand savoir vous met hors de sens. V. *L' Esprit de* Guy Patin *p.* 52. VAND.

(1) *Idem unus tenuerit* ) Nunc quidem in amplissimum superbiae eruditae campum expatiari non vacat; vix tamen mihi ipsi tempero, quin brevissimis huc transcribam, quae de Salmasio narrat Colomesius p. 317. his verbis: *Messieurs Gaulmin, Saumaise et Maussac se recontrans un jour à la Bibliotheque Royale; le premier dit aux deux autres : je pense que nous pourrions bien tous trois tenir teste à tous les Savans de l' Europe. A quoi M. de Saumaise repondit : Joignez à tout ce qu' il y a de Savans au monde et vous et M. de Maussac, je vous tiendray teste moy seul.*

*pariter et Latinam orationem, in omni dicendi genere et prosa et versu. Tu si quem habeas alterum, memora. Quid taces homo miserrime.?* Multum vero hi ad conciliandam famam facere arbi-

*seul*. Huc usque Colomesius. Parum vero abest, quin mea hic faciam, quae de Casaubono olim cecinit Vir eruditus;

*Ilias in genibus, spumat manus una Lebetem,*
*Una veru versat*, tres agit ille Viros.

Sed mitto Alastorem, lubensque Paracelsum, Thurmejum, Cardanum, Barthium, alios, sileo: e quibus alter ille, Thurmejus inquam, blaspheme jactavit, se solo improbante, totam Christi legem annihilari posse: si quidem vera sunt, quae tradidit de eo Matthaeus Paris in Histor. Anglic. ad Paravicinum in Singularibus pag. 4. Them.

Lectori fortasse ingratum non erit, legere hic ipsa Thurmeji verba, quave occasione eadem protulerit, nosse: addi enim hoc utique meretur. Theses nimirum de Verbi incarnatione publice defendens se ipsum superasse censebatur, omniumque meritus erat applausum. Ita autem eo ipso intumuit arrogantia ejus, ut pleno ore exclamaret: *Jesule Jesule*, sive Gallice: *Petit Jesus! Petit Jesus! combien de bonnes raisons n'ai je allegué pour soutenir tes Droits; mais par combien de raisons meilleurs, et plus fortes, ne pourrois-je pas les anneantir, si je voulois l'entreprendre?* Ceterum Thurmejus omnium, quae sciverat, postea oblitus, immo adeo stupidus factus est, ut ne alphabeti quidem literas quasdam capere amplius posset; quare de ipso dictum est: *Quantum cecidisti de coelo, Lucifer!* I. Gall.

bitrantur, si eruditis aliis persuaserint (1), quasi plurima de rebus minime tritis volumina parata habeant, quae, si justum incredibilis operae pretium statuatur, confestim typis mandari possent. Ut nihil dicam de Johanne Bourdelotio et Marco Meibomio, quorum ille in Notis ad Heliodorum subinde provocat ad libros suos, quos nunquam in lucem prodiisse constat, hic vero, cum Amstelodami viveret, grandissima volumina monstrabat adventantibus, quae, si digno pretio redimantur (immensum autem statuerat) haud ultra invisurus esset erudi-

(1) *Si eruditis aliis persuaserint*) Splendidi hujusmodi Thrasonis meminit etiam Erasmus *Adagiorum* p. 637. ubi, *Vix haec scribens*, inquit, *a risu tempero, cum recordor Calliphanis cujusdam quem olim cognovi, cum in familia Charissimi Patris, Henrici Bergensis, Episcopi Cameracini, versarer, sed nomini parcetur propter convictum domesticum. Is permulta volumina concinnabat exornabatque, sed chartis inanibus, nisi quod in fronte videre erat magnificos quosdam titulos, velut Carminum, Orationum, Epistolarum. Singulis praescriptum erat hominis tergeminum nomen, ut qui titulos forte legissent, crederent eruditum, et in literis multa magnaque molientem.* Kend.

ditis; nemo facile superavit fastum Francisci Crucimanii, qui, edita ad Henricum III Galliae Regem Epistola, * parata sibi jactat octingenta volumina (1), de cunctis rebus, quae humanae scientiae ambitu comprehenduntur, sua manu exarata, ac centum pluteis disposita, quae se traditurum omnia Regi spondet, si vel pro singulis pluteis ducenti Joachimici sibi numerentur, vilissimum scilicet pro thesauris immensis pretium (2).

At-

* Extat illa, cum ipsa plutei delineatione, sub finem ejus Bibliothecae Gallicae. Conf. & Baillet Jug. Tom. I. p. 439. M.

(1) *Octingenta Volumina*) Vincentium Marinerium commemorat Nic. Antonius Bibl. Hi p. T. II. publico promisisse, quae ipse elaboraverit, Volumina quinquaginta de argumentis gravissimis, praeter versus quos effuderit ultra 38000. Quumque promissori liberalissimo fidem adhibere se posse negarent tantum non omnes, ipse datis ad singulos literis, persuadere ipsis conabatur, vera esse quae praedicaverat, amplos titulorum catalogos adjiciens. Quod si vero sic etiam dubitare aliquem videret, ad exemplum Trismegisti provocabat, temporis quod lucubrationibus suis insumserat, rationem exponebat, chartae foliorum quae Commentationibus suis impleverat, numerum inibat. KEND.

(2) *Thesauris immensis pretium*) Multo magis igitur

Atque hi intra promissa tantum substiterunt : longe vero ineptior mihi videtur Nicolaus Riccardius, Januensis, qui cum assiduam multorum annorum operam studiumque se collocasse jactaret in refellendis, quae contra sacrum Concilium in celebri vulgatoque libro scripta essent, cumque eximium aliquod opus (1) exspectaretur,

Frythr. Pin. n. 22.

---

tur inaestimabilis fuit ille Fratrum roseae Crucis liber, de quo praeter alias imposturas jactabant : *omnia ex illo uno disci posse, quaecunque in reliquis libris quibuscunque editis usque huc, vel imposterum edendis aut scribendis junctim leguntur*, etc. vid. Naudaeus in Instruct. ad Galliam de Fratr. roseae Crucis p. 35. I. Hall.

(1) *Eximium aliquod opus expectaretur*). Non fefellit autem publicam opinionem clarissimus Amphissae Princeps Vincentius Caraffa, quam insigni opere suo, quinque fere abhinc annis, concitarat. Is enim voluit adversus temporis invidiam integrum electissimae suae conjugis Liviae ab Auria properantibus fatis e vivis ereptae nomen, ac invidendarum virtutum memoriam posteris commendare. Cui Operi concinnando, quotquot in Italia florent, eruditiores viros exoravit, ut quisque pro virili vacaret. Quod jampridem incoeptum, jam tandem hoc anno confecit, absolvit ; tanto autem nitore, tantaque eruditionis copia, ut id Opus, cui titulus : *Prose e Versi per onorare la Memoria di Livia Doria Caraffa*, omnium pretiosissimum, quae publicam pro

tur, vix tandem prodidit paucas quasdam plagulas, ut montibus parturientibus similis haberetur, qui murem ridiculum esset enixus. Et constat de Johanne Capellano, Viro alioquin pererudito, quod, cum pensionem annuam nactus esset ab Henrico Aurelianensi Príncipe, ut de celebratissima Galliae viragine, quam Puellam vulgo Aurelianensem vocant, heroicum quoddam carmen ad exemplum Homeri aut Virgilii, Gallico idiomate conderet, atque is, quod diutius frueretur Ducis munificentia, annos

 plu-

prodierunt in lucem ab inventis typis, videri queat. Non solum enim operae illius pretium est in quamplúrimis externis ornamentis, quae exasciatum opus illustrant; verum in electis etiam carminibus, quae complectitur. Ea enim, sive prorsa, sive versa oratione conscripta sint, puram putamque redolent simplicitatem, quae omnium Operum insigniorum character est propriissimus. Utinam non desit tanto Operi ad immortalitatem facto, elogium latine scriptum, sive ejus vita latine scripta, genio autem latino, sine acuminibus, sine verborum inanium copia exaratum! Ita namque clarissimae Matronae bene edoctum edutumque ingenium suis natiuis coloribus expressum, nec fuco, nec cerussa obductum, magnum posteris futurum fuisset virtutis ingenuae, ac conjugalis amoris exemplum. Chrysol.

plurimos impendiſſet huic labori, vulgato tandem frigidiſſimo poemate, quod *Puellam* * inſcripſit, tantum abeſt, ut ingenti, quam de ſe concitaverat, expectationi reſponderit, ut potius plerorumque in ſe ſcommata provocaverit, quos inter aliquis hoc in Puellam epigrammate luſit:

*LaPucelle d' Orleans. Menagiana P. I. p. 15.seq. Conf. P, II. p. 41.

*Illa Capellani dudum expectata Puella*
*Poſt longa in lucem tempora prodit anus* (1).

Quem

(1) *Prodit anus*) Extat hujus Epigrammatis in Gallicam linguam verſio, Autore Menagio:

*Cette Pucelle pretendue*
*De l'heureux Poete Chapelain,*
*Depuis ſi long tems attendue,*
*Paroit de ſa derniere main,*
*Mais ſi vieille deja qu'elle en eſt meconnûe.*

Neſcio an ſequens anonymi cujusdam elegantius ſit:

*Nous attendions de Chapelain*
*Une Pucelle*
*Jeune et belle;*
*Vingt ans à la former il perdit ſon latin;*
*Et de ſa main*
*Il ſort enfin*
*Une Vieille ſempiternelle.*

Quod reliquum eſt, nihil jucundius occaſione Puellae hujus Aurelianenſis prodiit, quam *le Parallele de Chapelain et d'Homere*, liber Matanaſio in fine ſubjectus. Quantum leporis ibi elegantiorisque do-

Quem in censum, quoniam de iis dictum est hactenus, qui pridem vita functi sunt, nescio num referri etiam debeat e Soc. Jesu Joannes Harduinus eruditae Galliae lumen hodie ac decus praecipuum. Is ut multa hactenus edidit scripta cedro dignissima, Plinium imprimis (1), quo uno



doctrinae! Multi ex iis, quos novi, eruditis non Aragoniae tantum regnum, verum vel pulcherrima ex scriptis suis cum exiguo opere isto permutaturi essent. Interim Autori hactenus latere visum est. Qui conjecturis se valere, ac de stilo ac cogitandi ratione judicium ferre se posse putant, vel V. Cl. *de Crousaz*, vel Cl. *Fontenellium* autorem opusculi esse credunt. Verum neutri horum tribui potest. I. Gall.

At nunc quidem satis constat, verum autorem esse *Paulum de Saint Hyacintho, alias Themisseul*.

(1) Id sibi in animum induxerat, unum Plinium genuinum esse, ceteros auctores, qui vulgo circumferuntur, esse vel adulterinos vel interpolatos. Quod semel positum, eo nos abduceret, ut criticam veluti nullius usus, nulliusque frugi, respueremus. Interroganti nescio cui, quid Harduinus agit? respondit clarissimus Huetius, viginti ab hinc annis id agit solum, ut vel nullam sibi opinionum pariat vel jampridem partam minuat: at res ejus quasi voto infeliciter cessit, major enim semper in dies ejus opinio evadit. Ita ne magnorum virorum erroribus ac eruditae vanitati blanditur populus aliquando! Chrysol.

labore nominis immortalitatem consecutus est apud omnes, aliquid tamen paradoxi, dubium an animi gratia, an ut ordini suo, quod Crozius aliique (1) suboluisse sibi visi sunt, velificaretur, obtrudere eruditis voluit, istud nimirum quod plerique Scriptores, Graeci pariter ac Romani, atque adeo Patres quoque ipsi, ab otiosis hominibus et nescio qua falsariorum conjurata societate fuerint subornati: At cum id sparsim tantum et le-

(1) *Quod Grozius aliique* ) Matur. Veyssier la Croze in *Vindiciis Vet. Script. adv. Harduinum*, Roterod. et Joh. Sartorius *de Ostracismo Literario*, Gedani 1710., qui posterior Crozio multa debet, ejusque vestigia in plurimis legit; aliique non pauci. Ceterum non vana videtur esse Domini la Croze suspicio, quamvis Patres S. J. eandem omni nisu a se amoliri conati fuerant. Jure etiam in Thrasonum literariorum numerum refertur Harduinus, non solum propter famosam illam Archontii officinam, ad quam hic respicitur; sed etiam ob mirum innovandi in Chronologicis pruritum, aliasque conjecturas nimis longe petitas, quas passim Memoriis Trevoltiensibus inseruit. Quin in ipso Plinio creberrime egregius iste Vir humani quid passus est, ubique non inficienda eruditae vanitatis criteria immiscens. Conf. de la Croze l. c., I. Hall.

leviter scriptis suis insinuaverit, quaesitumque nuper admodum ab illo fuisset, ut systema quoddam hypothesium suarnm proderet latiusque paulo deduceret, quae hactenus levi modo brachio attigisset, respondisse fertur, se spisso quodam volumine collegisse omnia, de quo sibi tantum ac supremo Numini constet, ceterum nihil eius rei, quoad vixerit, proditurum *, qua de re quid sperandum sit, nasutioribus dijudicandum relinquimus.

Sed satis de his; ad eos pergo, qui cum ipsi nihil habeant, quod prodant, vel polliceantur, satis tamen se tueri posse putant nomen eruditi, si cuctas suas facultates dilapidantes, quicquid ubique prodeat librorum, quos nec legunt quidem unquam, nec si legant, intelligunt,

 avi-

(*) Nimirum per litteras ab Amico mihi relatum est, his plane verbis respondisse Harduinum: *On le trouvera apres ma mort sur un papier grande comme la main, et il n'y a que Dieu et moy, qui le savent*. M.

avidiſsime corradant (1), totosque montes et acervos voluminum congerant (2), quae

(1) *Avidiſsime corradant*) Equidem sunt contra alii, qui cum ipsi libris non utantur, ad eos ne quidem admittere quenquam audent, nimirum ne quis forte spolia sua aut amicorum vindicet, certe codicem, quantumvis obvium, nullis blanditiis aut technis extorqueri sibi vel ad horulam patiuntur. Vir ille, de quo supra p. 34. Bibliothecae suae selectum ac raritatem identidem crepat, sed in communicandis libris parcior est, et si quem obtinueris ab illo, et reddendo gratias illi egeris, *apage*, ait *cum gratiis tuis, neque enim dignas mihi grates referre potis est, qui libri hujus, tam rari, tam exquisiti, usum a me impetraverit*. Petebat ab illo Vir quidam illustris librum mutuo, ut in eo locum aliquem, quem designabat, evolveret; noster notato loco illo, quem unicum libere legere licebat, ceteras libri plagulas ab utraque parte compactas sigillis obsignabat, ne quicquam Vir ille praeter istum locum degustaret. Postea cum liber ille solutis nihilominus sigillis redderetur, tum nuntium intra museum pertrahens, gladium illico et sclopetorum paria disponit in mensa, et *dicito*, inquit, *hero tuo, haec ad injuriam, quam intulit et libro et sigillo meo, delendam me parata habere*. Sed haec

VAND.

(2) *Voluminum congerant*) De Hario refert ex Lomaiero Paravicinus, *Cent. III. Sing. N.* 70, ipsum Bibliothecam tot voluminibus instructam Hagam transtuliſse, ut populus innumerum librorum numerum miratus, publice profiteretur, se nunquam credidiſse vel in orbe terrarum tot codices reperiri; indeque eidem Hario, perpetuum post id tempus cognomen-

quae longo ordine velut in armamentariis disposita multoque auro ac purpura distincta aliquoties per diem hilari vultu adspectant, amicisque ac clientibus suis identidem ad nauseam usque demonstrant (1). Imprimis verò coelum se manibus tetigisse ac Diis simillimos esse putant, cum in codicem quendam veteri manu exaratum

 in-

mentum *Johannis de Libris* adhaesit. THEM. *Vid. Baelius in Dict. T. I. Art. Fugger.* ubi magis adhuc exaggeratur Bibliotheca Fuggeriana; quam Wolfius tot libris, quot coelum stellis nitere, dixit. I. GALL.

(1) *Ad nauseam usque demonstrant*) Adduci posset Luciani Dialogus adversus indoctum librorum multorum supellectile tumentem, qui exstat T. II. p. m. 751. SCRIB.

*De toutes les occupationes une des plus vaines c'est sans doute celle de faire une Bibliotheque, pour ne s'en servir jamais. Il est vrai, que c'est un meuble qui pare une chambre de meme que les porcellaines, les tables, les peintures, les tapisseries. Dous.. ne lit, et ne lira jamais; mais il a du bien.... Il achete des livres, les fait relier bien proprement, forme une nombreuse Bibliotheque. A certain jour, a certine heure, une fois le mois, il fait placer son auteuil vis à vis de ces beaux livres; et la il contemple... Apres quoi il se retire toujours ignorant, mais fort satisfait d'avoir vu des Livres, etc. v. Refl. mor. Sat. et Com. p. 35 seq.* I. GALL.

inciderint, quem, utut exesos tantum literarum ductus lacerasque chartas ostendat, sitque vel centies ab eruditis sollicito studio collatus, cum ingentibus divitiis et quicquid in rebus humanis est delitiarum permutare nolint (1). Nostis, Auditores, quod de Fulvio Ursino, antiquitatis aestumatore maximo, refert Janus. Nicius Erythraeus. Pervetustis codicibus, inquit, quorum multos in sua bibliotheca habebat, immania pretia faciebat: atque illud accidit perridicule, quod cum die quodam Francisco Cardinali Toleto Terentii Comoedias ostendisset, easque affirmasset ante annos mille fuisse conscriptas (2), ac

Pinac. c. 4.

(1) *Delitiarum permutare*) Antonius Becatellus, Panormitanus, An. 1555 praediolum, quod habebat unicum, vendidisse fertur, ut exemplum Titi Livii emeret a Poggio Florentino. Char.

(2) *Affirmasset ante annos M. conscriptas*) Div. Chrysostomus in Oratione περι καλλους refert miram antiquariorum fraudem, qui vilissimos quosque recentium libros abdere soliti sunt frumento, ut situm contraherent, atque ita pro antiquis majori pretio venirent. Vid. Wower. *in Polymathia* c. [illegible]. Scrib.

ac revera essent antiquae, sed mire depravatae atque corruptae, atque addidisset, nullam esse pecuniam, quae antiquissimi illius codicis aestimationi par esset; proh Deus! Cardinalis inquit, quid audio? equidem mallem codicem unum quantumvis recens impressum, sed castigatum emendadatumque, quam decem alios mendosos et corruptos, quamvis Sybillae manu exaratos (1). Hactenus Erythraeus; peropportune profecto et argute omnia.

Sed

(1) *Manu Sibyllae exaratos*) O responsum Cardinalis sapientissimum! utinam id omnibus superstitiosis Codd. Msctorum veneratoribus curae cordique esset. Certus sum, nullum hodie Codicem monstrari posse, nisi mendis ubique refertum. Quare bene omnino judicavit Manutius in *Commentario ad Ciceronis Lib. V. Famil. Ep.* 25.: *Nec vero librum ullum tam antiquum esse arbitror, qui omni prorsus vacet mendo*. Eccur enim ignota est Librariorum oscitantia? Quantum gaudium gavisuri essent Critici, si Codicem usquam invenirent Gellii aevo descriptum: atqui Gellius ipse gaudentes eosdem stultitiae et ovantes insaniae accusaturus videtur, dum *L. VIII. Noct. Attic. c.* 20 expressis verbis, Codices suo jam tempore summe corruptos atque perperam descriptos esse queritur.

Cri-

Sed quoniam de antiquitatum patronis dicere coepimus, non erit ab hoc loco alienum, illorum notare insaniam, qui nihil laudant, nihil admirantur, nisi quod vetustatem redolet (1), et dum alios omnes ad morem Si-

---

Criticus, certe, qui sanam rationem ducem sequitur, huncque Lydium lapidem examinandis Antiquorum scriptis adhibet, pluris faciendus est, quam alii Correctores Grammaticastri, et exesorum Codicum adoratores bene multi. Adi sis Rich. Simonium *Tom. IV Bibliothecae Criticae Epist.* 16, et Cl. Heumannum *de Arte Crit.* I. Hall.

(1) *Quod vetustatem redolet* ) Adrianus Imperator amavit genus dicendi vetustum, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit. Vide Spartianum in Adr. c. *16*. Vossius epistola ad reginam Christinam, epist. III. p. 9. fatetur, *antiquos historicos periisse sine posteritate: ut enim recentiores vincunt plebem, sic a priscis vinci nostros recentiores*. Pomponius Laetus abrogavit nomen suum Petri, quia Romanam civitatem non saperet; et maluit vocari Pomponius, quam Petrus. Freherus *Theatr. P. IV. p.* 1427. Idem sibi e salario discipulorum agellum ac donum in quirinali comparavit, ubi non solum natalem Vrbis coluit, sed Romulum quoque, urbis Romae conditorem, publice veneratus est, Vossio teste *lib. III. cap.* 8. *de histor. latinis*; adde Sabellic. *vita Laeti ad Maurocenum* et Heumannum *de anon. et pseud. pag.* 136. 137. Franc. Redus de Peripatetico quodam narrat, quod ex singulari erga Aristotelem reverentia tubum noluerit in-

Sinensium pro monoculis habent, se solos credunt duobus oculis instructos, quoniam non ea tantum, quae ante pedes sunt, prospiciunt, verum et antiquissimorum temporum faciem exactissime cognitam habent et perspectam. Itaque si vel nummulus aliquis multo situ et aerugine obductus, vel

inspicere, eo fine, ne fateri cogeretur, Galilaeum a Galilaeis novas et ab Aristotele nondum visas stellas detexisse. Vide ejusd. *Observ. de viperis tom. 1. Ephemerid. nat. curios.* Daceria libro: *des causes de la corruption du gout*, adfirmat, quod sanior gustus proveniat ex cognitione Latinorum, ut et imprimis Graecorum auctorum p. 20. Claudius Belurgerius, homo Gallus, insano amore erga Homerum furebatur. Eum semper habuit in manibus, totum edidicit, in templa detulit secum et recitavit loco sacrarum precum: pictam quoque a celeberrimo pictore habuit Thersitis imaginem, qualem ipse ex Homero dictaverat, et qua nihil illustrius, nihil magis divinum visu censuit. Imo voluit ipsos Trojae campos, vetustique Ilii loca, late omnia oculis suis usurpare; hinc abiit in Italiam, conscensaque Venetiis navi in Ægyptum navigavit, inde abiturus in Asiam. Verum Alexandriae morbus eum oppressit v. Erythr. *Pinac. I. p.* 206. Morhof. *Polyh. Tom. I. lib. VII. cap.* 2 Gadd. de script. non eccl. *Tom. I. pag.* 238. Lipsius ait *Cent. II. Miscell. Epist.* 44. *Tres sunt, quos admirari unice soleo, et qui in hominibus excessisse mihi humanum fastigium videntur, Homerus, Hippocrates, Aristoteles.* Char.

vel alia quaecunque vetustae suppellectilis pericula ad illos deferatur, bone Deus, quanta gaudia, quanta mox etiam curae et sollicitudines, ut accurate examinentur (1) omnes apices, ac singula iustis commentariorum libris exposita ad posteros transmittanur (2). Isti

(1) *Accurate examinentur.*) Importunis hisce antiquitatum perscrutatoribus illa occinerem apposite: *in profundo delitecunt Thesauri.* Cui bono tam intempestiva eruditionis farrago? Quod si nihil monumenta isthaec veritatem promovent, nihilque humani generis intersint, cur impensius prosequantur non video. Hic est vere *paedantismus.* CHRYSOL.

(2) *Transmittantur*) Antiquaria et Nummaria scientia sine dubio ex elegantissimis est, quibus ingenia hominum occupari possunt; tot autem Charlatanerias illa parit, ut mirum non sit, Oratorem nostrum risisse eos, qui huic studio se nimis mancipant, tamquam Circulatores grandiloquos. Adjicere praeterea potuisset, et eos saepius, qui vel maxime judicio pollent, in errores prolapsos esse. Saepius ibi imponi patiuntur; saepius ipsi nummi, cujus copia ipsis facta est, amore capti, animum suum in sententia quadam obfirmare; praesertim ubi inventionis cujusdam gloriam sibi tribuet possunt. Conjecturas suas instar certissimarum veritatum nobis obtrudunt, et in descriptionibus aut potius elogiis, quibus antiquitatem eorum nobis fingunt, nunquam intermittunt, quin rubiginem nobis ostendant, cujus vivus color, (hac enim opus est imagine) judicio est

Isti nimirum sunt, qui Sibyllae folia (1), carmina Carmentae, Maeandros Lycophronis, libros Numae, mysteria aurei velleris, epitaphium Aeliae Lae-

est, metallum optimum esse et maxime selectum; rubiginem inquam illam, quam aeris florem vocare solent, χαλκȣ ανθος unde rident idiotas illos, qui tanti pretii crustam pro sordibus habent, nummosque suos poliunt lavantque, ut splendoris aliquid iis reddant; tanquam stultos hortulanos, qui arbores cortice privantes eosdem nutrimento suo privant. Nihil hos homines agere arbitrantur, quam quod gloriosa antiquitatis monumenta destruant; Justos contra harum rerum aestimatores rubiginem hanc examinare diligentissime; ne a falsariis decipiantur qui probe scientes, quanti color hic gratissimus pretii sit, rubiginem incrustare viroremque nummorum rarissimorum imitari conantur. Denique Lectoribus quibusdam non ingratum erit nosse, optimum nummorum colorem esse illum, quem in ceparum genere quodam Gallis *porreau* dicto videmus, nummosque rarissimos, curiosissimos et pretiosissimos eos esse, quibus Augustarum imagines exhibentur. Vid Dissert. *Otton. Sperlingii* de num. Fur. Sab. Tranquillianae, conjugis Imper. Gordiani, quae prod. Amst 1687, I. GALL.

(1) *Sibyllae folia*) Quomodo Hermicus Cajadus, Lusitanus, lapidibus, quibus Sibyllinam vaticinationem inscribi curaverat, defossis aliquandiu et erutis, postmodum eruditis aliis imposuerit, legas apud Rappoltum *in commentario ad Horatium p.* 611. SCRIB.

Laeliae, librosque Aegyptiorum, quos Apulejus dicit *literis ignorabilibus praenotatos, nodosisque et in modum rotae tortuosis, capreolatimque condensis apicibus, a curiositate profanorum munitos*, nullo negotio ac veluti aliud agendo interpretantur. Sed quam facile imponi sibi patiantur (1) hi omnes anti-

Lib. II. Metam.

---

(1) *Imponi sibi patiantur*) Praeter Sigonium, qui Consolationem Ciceronis artificiosissime confecit, et Nodotum Gallum, ementito Petronii fragmento celebrem, adulterinorumque Numismatum fabricatores, Parmesanum, Patavinum, Bolducem atque ipsum Golzium, insignis quoque in his fraudibus artifex fuit Muretus, qui Scaligerum supposito vetusti Comici loco (non, ut vulgo dicitur, Epigrammate aliquo) ludens, re detecta hoc disticho ab indignante illo petitus est,

*Qui rigidae flammas evaserat ante Tolosae,*
*Muretus, fumos vendidit ille mihi.*

Haec quidem in vulgus nota sunt; non aeque, quam referemus, altera impostura, qua eidem Scaligero (quo ipso tamen nemo magis intima quaeque Critices secreta penetrasse Eruditis creditur) palpum obtrusit idem Muretus; qui, quo emendationem Catulliani cujusdam loci felicius tueretur, versum sub Pacuvii nomine allegavit, a se confictum, nec usquam alibi reperiendum; hunc itidem Scaliger ut genuinum & Pacuvio dignum fragmentum suspexit. Elegantiora sunt Is. Vossii verba, quam quae Lectoribus nostris invideamus. Ille totam rem, ut ge-

antiquitatis promi condi, testes nobis sunt (1), ut alios taceam (2), omni

---

gesta est, p. 46. Catulli sui exponit, additque; *Mirum fraudem hanc non detectam fuisse a Scaligero, cui merito suspectae esse debuerant merces sub quocumque demum titulo e tam dolosa prodeuntes officina; utpote qui adulterinis hujus viri versibus deceptum se fuisse, optime nosset. Sed profecto tanti apud Scaligerum ponderis fuit Mureti facundia, ut bis quoque ab eo passus sit se decipi*. Evolv. Morhofius *L. IV C. XI* § 4. *et L. VI C. III.* § 1. *Polyb.* Add. Menagius *T. I. Anti-Bail Art.* 83. ubi fuse de Mureto et objectos ipsi a Scaligero crimine agit, multa etiam a Bailleto et aliis secus dicta emendat. Praeterea adduci hic illi quoque possent, qui libros dudum typis divulgatos pro ineditis habuerunt, et quasi rarissima Bibliothecarum cimelia literato orbi de novo obtulerunt: Collegit horum aliquot exempla Daumius in Praefat. ad opuscula nonnulla Hieronymi; idque in sui ipsius excusationem, cum eundem errorem circa Palponistam Bernh. Geistensis erraverit, quem primum se ex Reinesii Biblioth. An. 1660. edidisse, jam An. 1501 cura Henr. Quentelii publicatum. E recentioribus plures ad hunc scopulum impegerunt eo difficilius evitandum, quod ipse celeber Fabricius et nuper demum doctiss. Gallus, Montfauconius, sibi non satis ab eodem cavere potuerit. Agmen claudat ridiculus Richelii Cardinalis lapsus, qui Maurum Terentianum celebrem Grammaticum Comoediam Terentii esse credidit, teste Motthio Vayerio *Hexam. Rusti Dial. I. p. m.* 30. THEM.

(1) *Testes nobis sunt*) Jos. Scaliger deceptus fuit a Mureto, a quo afficta fuerunt Attio Tragico Trabeaeque Comico, quae a Scaligero habita pro genuinis, ad Varronem de re rustica p. 212 edit. 1573

omni exceptione majores, Athanasius Kircherus et Jacobus Gronovius. Erant Romae quidam adolescentes lasciviusculi, qui cum alicubi in urbe brevi excitandum aedificium intellexissent, ut Kircheri ingenium tentarent, eodem in loco clam defodi curabant scabrosum lapidem, quem miris nonnullis et ad libidinem excogitatis figuris deformaverant. Quid fit? jaciuntur fundamenta novi operis: tollitur

1573. quam fraudem Scaliger ultus est noto epigrammate. Vide Baelii *Lexicon* edit. 2. in Trabea, et Menagium cap. 83. Anti-Bailleti. Similis fucus Jano Dousae filio factus ab Hieronymo Groslotio Lysleo notatur in Baudii amoribus p. 463. CHAR.

(2) *Ut alios taceam.*) Nam et huc referri poterat M. Zuerius Boxhornius, quia satyram quandam nactus Michaelis Hospitalii, eam ceu certissimum vetusti Scriptoris monumentum luculento Commentario illustravit. v. Colom. *Partic*, p. 123. *M.*

Simili errore Th. Crenius *Tom. II. Method. p.* 403. fabulam illam, quae incipit: *Ranae paludis incolae* etc. pro indubio vetusti Autoris labore habuit, immo Joh. Christoph. Wolfius eandem suae Phaedri editioni, quasi certissimum ejus Viri foetum inseruit: quae tamen reapse satyra est Jesuitae Galli, circa An. 1670. composita, cum Ludovicus Rex Belgium potestati suae subjicere constituisset. Evolv. Ars Jesuitarum Metrica p. 274. ed Vienn. 1703. J. HALL.

litur lapis, novum vetustatis monumentum, ipsa sui integritate admirandum: quaeritur Oedipus; itur ad Kircherum. Is vero, viso lapide, tripudiare prae gaudio et pedibus terram pulsare, mox circulos, cruces et signa ad unum omnia tam concinne, tam apposite explicare, ut nihil supra (1). Quid Gronovius? Monstraverat illi Vir politissimus (quem vocat) Robertus de Neufville icunculam ligneam, metallifossoris Saxonici habitu indutam, quales vulgo pueri apud nos inter pupas et crepundia servant. Gronovius, qui nunquam homines metallibajulos et natipellitos viderat, Tesh. Ant. Graec T. III

G ve-

(1) *Ut nihil supra.*) Succurrit alia de eodem Kirchero relatio aeque jucunda. Obtulerat illi amicus familiaris chartam bombycinam, quali Chinenses utuntur miris characteribus insignem. His explicandis cum multum operae et olei impendisset bonus Athanasius, amicus denique impostor vani laboris pertaesus, ultro papyrum speculo admovit, statimque Kircherus indigne se deceptum deprehendit; cum ista literis Longobardicis retrorsum pictis schedae legeret: *Noli vana sectari et tempus perdere nugis nihil proficientibus.* THEM.

*vetustissimi*, ut ipse loquitur, monumenti spectaculo admodum laetatus, *statim religiosam* in eo *memoriam renovari judicabat*, et cum *imagunculam* hanc bellissime aere caelari curasset, interpretabatur *Sacerdotem Germanum portantem navigium Isidis* (*). Risum teneatis amici?

Et

(*) Ita vero inter alia in Thesauro Antiqu. Graec, statuam hanc depingit: *Est plane facies effera et incultam torvitatem praeferens, velamentum externum capiti velando fere omne* ( agnoscis mitram metallifossoris ) *usque ad ipsa supercilia abscondens, ita versus sinistram tergi partem descendens, ut illic commodo loco praebeat aliquid spissum, cui navicula* ( vasculum scilicet aeri colligendo paratum ) *cujus longior pars ultra tergum, eminet, innititur. Vestis apparet longa, sed alte cincta ad liberiorem ingressum, ita ut posterior pars* ( en natipellem, vulgo *Arsleder* ) *in humiliore esset in acum n aliquod desinens. Hic igitur est ille tam celebratus, si Graece placet*, IEPOCOPOC, *si Latine, bajulus ceremoniarum sacra ferens, non ad Musas, ut castus Poeta, sed ad horrendum sui luci secretum etc.* Ceterum ecquis Sacerdotem Germanum inter Graecas Antiquitates quaesiverit? M. Verum quidem est in Graeciam transeundum non fuisse, ad sacerdotem Germanum ibi quaerendum: quare autem in Germania quaeri non potuerit Sacerdos Germanus, non video. Immo illorum sacerdotum habitus, qui Isidis sacris initiati erant, non sine omni verisimilitudine hic inveniri poterit ab

eo,

Et quoniam incidimus in Grono-vium, non possumus quin recordemur moris illius non minus ipsi quam Pantocriticis aliis perfamiliaris, ut nihil facile relinquant intactum (1) aut illaesum, verum quoties



---

eo, qui perpenderit, universalem fere fuisse cultum hujus Deae, inque Graecia eidem altaria extrui coepisse. Nec probabilitate caret, populos alios cultum ejus a Graecis accipientes, ritus etiam, ceremonias, habitusque sacerdotales in sacris ejus sollemnes, accepisse. Quumque in Gallia inventa sint rudera templorum Deae memoratae quondam consecratorum; quare in Germania monumenta ejusmodi inveniri nequeant, non apparet. I. GALL.

Si icuncula illa fuisset re vera antiqua, nec lignea, potuisset Criticus ingeniosissimus suis conjecturis uti; at cum omnes, quibus habitus nostrorum metallifossorum notus est, inspecta figura statim agnoscant metallifossoris icunculam, qua ludere infantuli solent, nostri certa conjectura illam non sine risu dimittere potuerunt. AUT.

(1) *Nihil relinquant intactum* ) Quantum ohe! Jacobus noster a Patre Johanne Friderico discrepat, Viro omnium modestissimo, qui adeo ab omni altercatione, maxime cum annos juveniles superasset, alienus fuit, ut ne verbo quidem quenquam offenderit et nec provocatus descenderit in arenam. Etenim juvenis admodum personatum quendam Statii Commendatorem, *Mercurium Frondatorem*, in *Elencho Antidiatribae* Par. 1640, 12 edito paulo acerbius sale perfricaverat; at hujus Satyrae ita profecto illum

ties quisquam aliquid in literis prodit eximium, id continuo allatrent ac carpant (1), tantum quippe de-

ce-

---

lum postea puduit, ut exemplis, quae comparare potuit, prope omnibus Vulcano traditis, nullis Celeb. Graevii, quo perfamiliariter utebatur, precibus adduci potuerit, ut ipse libri illius copiam faceret. VAND.

(1) *Allatrent aut carpant*) Ejusdem furfuris fuit Mich. Apostolius, cujus animum invidia usque adeo invaserat, ut hac ipsa ad turpissima quaevis sese impelli pateretur etc. Conf. S. R. Boerneri *Disser. prima de Exul. Graecis*. Idem prope de Politiano refert Jovius in *Elogiis doct. Vir. n.* 29, deque aliis alii. THEM.

Nicanor Grammaticus *Stigmatias* dictus fuit, quod nullum librum dimitteret sine censura. Vid. Vayerius Tom. XIII p. 347. Dabit hujus similes plures Spizelius in Literato felici Commentat. V *de contentionibus Literator*. et Comment. VI *de maledicentia*. Alexander Tassonus optima scripta ex invidia censura vexare consuevit. vid. Morhof. *Polyhistor. Lit. I*, 21 *pag.* 265. De Petro Aretino, qui flagellum Principum dictus fuit, ex facto ipsi epitaphio, v. *Ancilloniana pag.* 186, de Paulo Benio Crassus in *Elogiis P. II p.* 80. Laurentius Valla se in Christum quoque spicula habere professus est; vid. Pontanus *Lib. II de Sermone c.* 18. SCRIB.

Ultima proximae animadversionis verba, in memoriam mihi revocant epitaphium *Aretino* positum hujus argumenti:

*Qu' on ne vit jamais Goguenard dangereux*
*Faire Dieu le sujet d' un badinage a freux.*

Le-

cedere rati suis laudibus, quantum optimorum scriptorum divulgatione accedit alienis. Dicite, Auditores, ecquis vixit nostro aevo paulo literatior, in quem ille censuras aut satyras suas non emiserit, etiamsi fuisset vix ullo facinore provocatus? Ceterum adeo ferre non potest eos, qui ab ipso diversa sentiunt (1) ut,



Lector minus cautus facile in eam delabi posset sententiam, quasi ad laudes Aretini faceret Epitaphium hoc. Meo autem vitio hoc fieri lubens fateor, quum ansam huic interpretationi ipsa rei ambigua expressione dederim. Ut itaque tollatur amphibolia haec, notandum ex alia prorsus ratione Aretinum de Deo tacuisse, quam illa, cujus Boilavius in versu alleg. Art. Poet. Ch. II meminit. Ferunt enim Italum hunc propterea a jocis de Numine dicendis abstinuisse, quod nullum prorsus agnosceret; Atheus enim habitus est a multis, immo magnus Atheismi Apostolus, si Voetio fides habenda est. vid. Disp. Tom. I p. 206. Quem locum Baelius allegat, prorsus diversa sentiens, Dict. Art. Aretin. Latine ita translatum est Epitaphium illud a nonnemine:

*Condit Aretini cineres lapis iste sepultos,*
*Mortales acri qui sale perfricuit.*
*Intactus Deus est illi causamque rogatus,*
*Hanc dedit; ille, inquit, non mihi notus erat.*

I. Gall.

cum aliquando Joachimus Fellerus noster, edita sub Francisci Dermasi nomine Epistola, ejus sententiam de nece Judae oppugnasset, integris duodecim post mortem ejus annis non tantum ipsi Fellero ceu mortuo leoni acerrime insultaverit, sed et in innocentissimam Academiam imo et urbem Lipsiensem immani modo debacchatus sit, Lipsiensem appellans argutandi rationem, cum absonam dicere vult aut inconcinnam (*). At-

(1) *Ab ipso diversa sentiunt.* ) Multos ubique deprehendimus, quos invidia et zelotypia agitat, fastus plus quam hypodidascalicus inflat, atque Antilogophilia risu non indignatione digna effert. Quot horum, proh dolor! et quanta in omni loco exempla prostant! sed novi Virum eruditum qui amplum *de Thrasonismo et invidia Eruditorum* Commentarium conscripsit, multa exquisitissima Charlataneriae literariae specimina exhibiturum. I. Hall.

* Ediderat Gronovius An. 1683. *Exercitationes Acad. de pernicie et casu Judae*, in *Actis Erud. ejus anni p.* 513., a Frid. Ben. Carpzovio commendatas. Prodiit inde Felleri Epistola An. 1687. triennio post infelici lapsu extincti. Hanc ergo Gronovius, cum alteram Exercitationum suarum editionem An. 1702. vulgaret, modeste adeo, pro more suo, refutandam suscepit. Qua de re *Act. Erud. An.* 1703. *p.* 5. merentur conferri. M.

Atque is plane similis videtur Caspari Scioppio ( quamvis Latini sermonis elegantia variaque doctrina longe majori ) quem *Canem Grammaticum* dictum constat, quod non praestantissimos modo suae aetatis viros, Scaligeros, Lipsium, Thuanum, Possevinum, Vossium, Stradam, Casuabonum, Mornaeum (1) lacessivit, sed et Phaedrum Thracismi et ipsum Romanae eloquentiae patrem Ciceronem Barbarismi postulavit (2). Hi vero quid aliud tan- Bayle D. C. a. *Scioppius.* not.K.

G 4 to

(1) *Casaubonum, Mornaeum.* ) Is. Casaubonus ei dictus *Alpha Cathedrariorum*, et Phil. Mornaeus *dignus ob soloecismos naticidio*. M.

Prolixius haec refert Baelius in Dict. H. C. Art. Sciopp. Remarqu. F. Addere debuit Orator noster, mea saltem sententia, ne principibus quidem pepercisse Scioppium, e. g. Galliae, Angliaeque regibus. Alter quasi Aretinus erat, hoc tantum discrimine, quod Aretini in scribendo protervia pecuniam ipsi acquireret, Scioppii autem acerbitas autori suo mortem minaretur. I. GALL.

(2) *Barbarismi postulavit.* ) Palaemonis Grammatici arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret, secum et natas et morituras litteras jactaret. Vid. Suetonium *de illustrib. Grammatic*, *n.* 23. et Quinctil. *I*, 4. Huic adjungere pos-

su-

to conatu, quam plausum quaerunt, quem ut prudentioribus nunquam extorquebunt, ita vix etiam apud insipidos quosdam et insulsos homines et talpa coeciores consequentur. Quod notum etiam et pervulgatum

Morh. Polyh. T. I. L. I. p. 191. est de Claudio Verderio, Gallo, qui paucis plagulis, quibus *Censionis Autorum omnium veterum et recentiorum* titulum fecit (1), ne ipsi quidem

---

sumus Hieronymum Cardanum, qui postquam satis temere alicubi negasset, se quicquam ab aliis inventum sibi adscribere, cum sufficiant sibi propria, atque de iis conquestus fuisset, qui suppresso nomine, inventa ipsius sibi vindicarent; omnes eos amentes vocavit, qui ne scirent inventa Cardani talia esse, ut a nullo inveniri potuerint qui non jam fama egregia esset cognitus, ut loquitur Spizelius *de vitiis Litteratorum*, *Comment. II p.* 213. CHAR.

(1) *Titulum fecit.*) Integer obesi scripti Titulus sic jacet. *Cl. Verderii in Autores pene omnes, Antiquos potissimum, Censio, qua receptissimorum plerorumque Grammaticorum, Poetarum, Historicorum, Dialecticorum, Rhetorum, Oratorum, JCtorum veterum et recentiorum, Mathematicorum, Medicorum et Theologorum errata quaedam deprehenduntur.* Enimvero totus libellus vix 30. folia replet, et maximam partem ineptiis refertus est etc. I. HALL.

Salse igitur et merito haec *volatici et ventosi ingenii flabra* perstringit Scioppius in Notis ad hanc censionem; quas integras primae rar. Libr. Conlectioni inseruit Groschupfius, Q. MAR.

dem Antonio, Patri, pepercit, a quo fuerat in Bibliotheca Gallica honorificentissime commemoratus, veteres vero scriptores, atque adeo Tullium quoque, et Maronem, et Flaccum (1), acerrime perstrinxit, atque in hoc duritatem sermonis, in illis voces barbaras deprehendisse sibi visus est. Taceo Franciscum Robortellum (2), qui parem ferre non potuit, eoque Alciato, Sigonio, Egnatio, doctissimis viris, dicam scripsit

Gaddius de Script. T. II. p. 296.

(1) *Maronem et Flaccum.*) Qua ratione Jo. Ciampolus in Virgilium et Horatium invectus sit, doceat Erythraeus *Pinacoth. P. II n.* 19. SBRIB.

Poeta erat *Ciamponius* hic, qui contra Virgilium, Horatium et Petrarcham declamando eosque ad tyronum subsellia detrudendo sua poemata illorum scriptis anteponere conatus est. Adde quod magnifice nimis de se suisque meritis sentiens, quosvis alios contemneret, quosvis maledictis lacesseret, et ne Papam quidem, nec principem suum, nec consanguineos suos inactos relinqueret. I. GALL.

(2) *Franc. Robortellum.*) Natus ille Utini Fori Julii Urbe, Professorem Eloquentiae Patavii egit; plura de ejus maledicentia lege apud Gaddium *de Scriptor. T. II p.* 396. Baillet *Jug. T. II P. II p.* 204. Morhof. *L.* 6. *Polyh. C.* 1. §. 11. et in *Casaubonianis p.* 38. I. HALL.

psit. *Inerat enim illi*, ut Imperialis Vicentinus testatur, *turgida mentis ferocia et effrenis civilis aurae cupiditas, quo nullum in secundis elatiorem, aut in adversis infractiorem invenias* (1). Taceo item Alexandrum Tassonum et Nicolaum Villanum, Ita-

Eryth. Pin. c. 110 et 111.

(1) *Infractiorem invenias*: ) Digna sunt et sequentia Imperialis verba, quae ex Museo ejusd. Ital. addamus. Sic nimirum ille in Elogio nostri pergit: *Inerat in homine hoc peracris obtrectandi libido, summaque in doctos omnes iniquitas, quos cum pares ferre non posset, continuis proscindebat conviciis*; et post pauca: *Hinc Sigonio semper infensus, ut quem acerrimum sortitus erat aemulum industriae, laboris, ingenii. Cum Alciato pariter aliisque clarissimis ejus aevi luminibus internecinas prope simultates exercuit. Quo factum, ut semel Venetiis Bapt. Egnatius, optimus ac doctissimus vir, crebris ab eo lacessitus injuriis, educto senili gladio, in eum impetum facere non dubitarit. Nihilo vero ille propterea vel ignavior, vel insulsior, ingenitos nunquam fastus deposuit*. Haec Italus. De ipso quoque Scaligero Vossius III, 80. *de Idolol.* affirmare non dubitat, eundem heroicas plane ingenii doctrinaeque dotes pruritu contradicendi nimio obfuscasse. De Arnaldo vero, celeberrimo Gallo, Clericus in *Epist. Crit. p.* 311.: *Ille igitur*, inquit, *vitam in inferendo aut defendendo bello dum absumit, irae usque adeo addictus fuit, vix ut ullum opus nisi felle tinctum ab eo prodierit*. etc. Conf. *Selecta Hist. Litter. Observ. III.* Them.

Italos, quorum hic Dantem, Petrarcham, Ariostum, Tassum, quorum nominibus totus Parnassi chorus assurgebat, aliosque recentiores, partim ut hebetes, tardos ac rudes, partim ut humiles, inornatos, abjectos, partim ut sine lepore, pondere et arte exsibilavit et explosit; ille autem ipsius Homeri (1) cui tantus honor est habitus, ut tanquam Deo Smyrnaei delubrum ejus in oppido dedicaverint, quingentas sententias et eo amplius in unum vo-

(1) Scioppium audaciae ac temeritatis facile accuses. Quippe qui nosse poterat in Phaedro Thracismum, in Cicerone Barbarismum? Jam enim Romanorum linguae nativus genius, cum jampridem languidior factus, expiraverit tandem multis ante Scioppium seculis, ipsi notior neutiquam esse poterat quam Phaedro ac Ciceroni. Verum Alexandri Tassoni mireris sollertiam, et acumen, et cogitandi nobilitatem; quippe unus potuit se supra ceteros extollere, ac Homeri pernoscere levissimas aliquando sententias. Jam omnes in Homero, si Diis placet, Theologiam, Philosophiam omnem, Historiam, et Graecarum Civitatum mores, facile noverant. Unus tandem coecutiit Tassonus; qui tamen lippum non fuisse, vel ejus Poema, cui titulus *la Secchia rapita*, praeclare ostendit. CHRYSOL.

volumen collectas se habere, quas editurus esset, stulte ridiculas, gloriatus est. Istud vero libertatem appellant, quam, si quae alia, literaria certe Respublica sibi vindicat plenissimam nulloque limite circumscriptam, scilicet ut impune alios de re minima lacessere et contumeliis afficere, ac, ut solebat Catullianus ille censor, vecordem liceat excitare rixam. Nata quondam erat levis inter Laurentium Vallam (1) et Poggium (2) Florentinum de vocum quarundam usu concertatio, quae eo tamen paulatim invaluit, ut hic, atro-

(1) *Laurent. Vallam*) In Vallam jam olim dictum fuit:

*Carpis majores, et quoque, Valla, minores:*
*Carperis et carpis, sic tua fata ferunt.*

CHAR.

(2) Hi floruerunt Neapoli apud Alphonsum I Aragonium litteratorum Mecenatem eximium. Poggius Vallae non fuit secundus: quippe ex Alphonsi Regis jussu Cyropediam ex Graeca in Latinam transtulit linguam. Non erat autem Valla tam castus ac parcus, ut scribit Menckenius; quippe nec ipsi Christo pepercit. Confer quae praediximus ad Pontanum. CHRYSOL.

atrocissimis in Vallam invectivis editis, eum non modo dementissimum omnium, furiosum, fatuum, monstrum, belluam, impium, detractorem, vesanum, sed et, quod dictu horrendum, scortum Romanum vocaret; atqui is idem Valla tam castus ac purus erat, ut, cum aliquando in Grammatici cujusdam veteris explicatione in vocem paulo obscoeniorem incidisset, *malo ignorari*, diceret, *quam me docente sciri*. Quid memorem Petrum Ramum, qui Aristotelem, Georgium Trapezuntium, qui Platonem, aut Angelutium et Castrum, qui Patritium et Licetum indignis plane modis exceperunt (1)? Quid Jul. Caesarem Sca-

Gadd. de Script. T. II p. 215.

Rayn. de bon. et ma. is Libris p. 51.

Naudée Mascurat p. 423.

(1) *Modis exceperunt.*) Quanta vehementia in Muretum invehitur Saubertus *de Sacrif. CXIX*, ob diversam Phraseos *Hoc age* explicationem? Mordax ille Benevenutus Servium, Grammaticum antiquum et optime meritum, bestialem; Valla Adversarium suum Poggium bestialissimum appellavit; quamvis et Poggius ipse hoc Elogium satis meruerit, cujus maledicentissimum os gravi aliquando colapho per Tra-

Baill. Jug. T. I. p. 97 Scaligerum, qui contra Erasmum, ideo quod Ciceronem satis admirari non

Trapezuntium in publica Panegyri castigatum est. Quid? quod ipse, lenissimus reliqua, Erasmus sibi temperare non quiverit, quin impium eundem Poggium, indoctum et obscenum Rabulam nuncuparet. *L. IV Ep. 7.* Quomodo se invicem exceperunt Scaliger. Cardanus et Petavius, Salmasius et Grotius Simon et Vossius, aliique? Non secus certe ac lippi solent et calones parasitorumque turba apud Comicum: I. Hall.

Adde *Trissotinum* et *Vadium*, quorum supra mentionem feci, qui hac ratione a Poeta introducuntur:

T. *Vous donnez sottement vos Qualitez aux autres.*
V. *Fort impertinemment vous me donnez les votres.*
T. *Allez petit Grimaut, Barbouilleur de Papier.*
V. *Allez Rimeur de Hale, opprobre du metier.*
T. *Allez fripier d'Ecrits, impudent Plagiaire.*
V. *Allez Cuistre - - -*

Femmes sav. Act. III. S. III.

Forsitan paucis innotuit hactenus, Molerium risisse sub nominibus hisce fictitiis *Cotinum* et *Menagium*. I. Gall.

De Poggio addimus: eidem alapas has a Trapezuntio acceptas obiici ab Adversario Valla in *Invectiva*: verum Poggius ipse rem totam in ludibrium vertit *in Philipp. secunda* adversus eundem Vallam. Dum non colaphis saltem, sed calcibus quoque, fustibus et ferro tragoediam actam, seque valde miratum fuisse testatur, quod ipse Valla famuli vices in abstergendis sauciis administraturus, non advolaverit etc. Ceterum tanta in hodierna imprimis Litteratorum Democratia duellorum et digladiationum ubertas est; ut facilius sit arenam calculare, quam tot

non posset, tanquam publicum quietis turbatorem, declamavit? Nec ignoratis forte, Auditores, quid inter Ulricum Huberum et Jacobum Perizonium, doctissimos Viros, ante annos haud ita multos in Belgio gestum sit. Nam cum Perizonius illius historiam civilem paulo attentius considerasset, et prope mille errorum reum egisset autorem, tum Huberus, cum esset praeterea liberioribus verbis subinde lacessitus, rem deduxit in forum, eoque, ut erat

tot cum applausu dinficantium recensum instituere. Ex reliquis tamen, qui nostrum seculum illustrant, Heroibus, post Gronovium Clericumque

*Caput extulit unus*

P. ** B. *** Vir de togata militia immortaliter meritus, de cujus in his Gymnicis artibus experientia maxima quaeque nos expectare jubent specimina, quae subinde edidit, non contemnenda. Burmanniana vero, quibus contra incomparabilem Virum insurgere ausus est nescio quis de plebe pugil, parum movent Virum magnanimum,

*Quo non Hectoreor, quo non Rolandior alter.*

Tu interim B. L. ex *Itinere ejus in Arcadiam*, ejusque gravissima in Clericum satyra, *le Gazeitier menteur* inscripta, velut ex unguibus leonem hunc agnosce, mecumque, si sapis, venerare. Q. Mar.

erat in agendis causis exercitatissimus, adversarium, ut culpam deprecari ac pro illatis injuriis mulctam fisco inferre juberetur. Sed ohe! quanti inde clamores, quanta jurgia exorta inter Criticos, qui ista severitate vim inferri libertati litterariae, et quoniam difficile sit hoc tempore satyram non scribere, ignaviam confirmari et attolli, eorum vero, quibus
*de meliori luto finxit praecordia Titan*,
nobilissimum ardorem opprimi querebantur et exstingui. Certe ut in Romana republica, donec illa libertate frueretur, artes ac bonae litterae egregie effloruerunt, quae contemptae paulatim sub Imperatoribus et ad barbariem reductae sunt, ita ipsam litterariam Rempublicam, ubi metus ac servitus accesserint, stare neutiquam posse (1), putant. Et dici

(1) *Stare neutiquam posse.*) Severitas haec, quae tot tantosque clamores excitavit inter eruditos, antiqua satis est. Dudum jam imperantes auctoritatis suae

ci quidem vix potest, quantum istae eruditorum contentiones tum ad excitanda ingenia, tum ad ornanda litterarum studia valeant (1): id quod nuper Caroli Boylii maxime et Richardi Bentleji lite patuit, quae ut ex levi admodum causa (2) na-
H ta

suae interpositione poenarumque inflictione criticorum quorumdam insolentiam et acerbitatem restringere visi sunt. *Conf. Jug. des Sav. T. I. p. 62. seq.* Patebit ex l. c, quid Zoilo evenerit, quidve a Parlamentis Magistratibusque civilibus saepius hoc in negotio constitum fuerit etc. Fateor interim cum Baelio, quod victum se fateatur ille, qui ob disputationes litterarias Magistratus opem implorat etc. Quod ea occasione dixit Baelius, ubi brachium saeculare se imploraturum minabatur adversario Scioppius, si continuaturus esset disputationes suas. vid. Artic. *Thomas* in dict. Hist. Crit. lit. D. Relatum alias accepi ab homine fide digno, non damnatum fuisse Perizonium, nisi quod in Politica quadam scissione contrarias sequutus esset partes; ut Arminius quoque etc. I. Gall.

(1) *Valeant.*)

*Au Cid persecutè Cinna doit sa naissance*
*Et peutetre ta plume aux Censeurs de Pyrrhus*
*Doit les plus nobles traits dont tu peignis Burrhus.*
Boileau Epitr. VII à Raccine I. Gall.

(2) *Ex levi admodum causa.*) Nimirum cum Boylius juvenis admodum, ut specimen daret eruditio nis

ta erat, attamen, cum ab utraque parte omnes ingenii vires intenderentur, foetus longe elegantissimos produxit.

Quandoquidem vero de concertationibus, quae calamo instituuntur, verba fecimus, dicendum quoque hoc loco erit de eo conflictu, qui in Academiis et e cathedra depugna-

ri

nis, in ea aetate non vulgaris, Phalaridis Epistolas cum versione et notis edere constituisset et MSptum Codicem petiisset e Bibliotheca Regia, quem Bibliothecarius Bentlejus post aliquot mensium usum nondum satis collatum repetebat, Boylius in praefatione operis inter alia de illo Codice his verbis loquebatur: *cujus mihi copiam ulteriorem bibliothecarius pro singulari sua humanitate negavit*. Quibus Bentlejus non leviter offensus mox Dissertationem emisit de Epistolis Phalaridis, Themistoclis aliorumque, quas omnes pro spuriis venditavit, ut nimirum ostenderet, vix operae pretium fecisse Phalaridis Editorem. Qua in re etsi plerosque eruditor consentientes haberet, Boylius tamen cum Sociis, ut creditur, aliis Collegii Ædis Christi, quod Oxonii est, edito elegantissimo libro, contrariam sententiam tuebatur, cui mox iterum Bentlejus Dissertationibus nonnullis *cultis Ædepol et laboriosis* respondit, ita quidem ut Boylius ingenio, Bentlejus vero doctrina vicisse vulgo perhiberetur. VAND.

ri solet (1). Etenim a longo tempore mos ille ita degeneravit, ut

H 2 sae-

(1) *E cathedra depugnari*) Jo. Picus Mirandulae Dominus Romae conclusiones nongentas in omni scientiarum genere disputandas proposuit, quas per totum Orbem emiserat. Ne quis autem eorum, quos ad opponendum invitaverat, itineris longitudinem causaretur, omnes contra se disputatum venturos ab omni sumtu liberos praestare pollicebatur. Vide *Perroniana*.

Notatu dignus est hujus disputationis eventus, unde simul patebit, quanta sit vis ignorantiae et invidiae, si in eodem homine concurrant. Agebant Mirandulani Comitis Theses de Dialectica, Theologia, Mathesi, Magia, Cabbala etc. multumque gloriae ex certamine hoc litterato reportabat Princeps hic eruditus; Impossibile autem quum videretur quibusdam, juvenem viginti quatuor annorum tot scientiarum peritum esse, Magiae eum accusabant, Papaeque rem denunciantes supplicium ejusdem efflagitabant. Toties autem in actione ista Cabbalae vocem repetebant, ut judicium aliquis, quid ea sibi vellet ignorans, de sensu ejus quaereret. Cui accusatorum aliquis, *Autoris cujusdam Satanici nomen esse*, respondit, *qui contra Christum scripserit*. Quam pulchre hic cum isto cive Atheniensi, Aristidis nimiae gloriae infesto, respondisset:

*Je ne le connois point Je l' exile à regrèt,*
*Mais que ne jouit il de sa Gloire en secret?*

Arist. Tragi-Com. Act. IV Scen. VII. I. GALL.

Erasmus quum in Anglia cum Thoma Moro de omni praesentia Christi disputaret, Morus inter alia dixit: *Crede, quod habes, et revera habes Corpus Chri-*

saepe de lana caprina, quod ajunt, rebusque vilissimis ingenti animi con-

*Christi*: Abeunti postea Erasmo Morus honoris causa equum suum commodabat, quo veheretur ad littora maris: Erasmus vero trajecit equum in Hollandiam, quod quum audiret Morus, litteras ad eum dedit, repetens equum suum. Cui Erasmus haec verba tantum reposuit:

*Quod mihi dixisti nuper de corpore Christi,*
*Crede, quod habes, et habes:*
*Hoc tibi rescribo tantum de tuo Caballo,*
*Crede, quod habes, et habes.*

Disputantes, qui vitia colligunt, satyrica ratione perstringit Charisius ab Amicis epist. de paedantismo et galantismo Latinae linguae, quum ait: *hoc intellectus morbo multi Philosophiae Magistri in Academiis laborant, quippe qui, ne vitam silentio transigant et ut nomen suum commendent immortalitati, id agunt, ut publice disputantes peccatorum Grammatices accusent et auditorum oculos in se convertant: quumque stercora sua exposuerint, discedunt elati spiritu et id cogitatione sua complectuntur*: Me praestiti virum, et hunc Magistrum Philosophiae infamiae nota adfeci. *Cruenta sane pugna! praelium aeternitatis memoria dignum!* Cicero de officiis lib. 1. dicit: *rectum est, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere*. VAND.

Alio in loco Cicero: *Laissons*, inquit, *aux Grecs cette Coutume malhonnete d'attaquer avec des paroles injurieuses les Personnes, contre les quelles ils disputent, et de passer de la Censure de l'Ouvrage à la Satire de l'Auteur*. Non autem Romanus; is enim semper suae regulae memor fuit. L. II de Finib. I. GALL.

contentione ac incredibili verborum ambitu disputatur; quas disceptationes ipsi etiam veteres *vitilitigia* non Acad. Qu. L. incommode dixere. Sic et olim 1. C. 2. Amafinius et Rabirius, ipso Tullio teste, de rebus ante oculos positis acerrime disputabant; et inter Palaemonem ac Orbilium gravis inter- Balzac le Barcedebat controversia, utrum Aeneas, bon p. cum in Italiam appulisset, dextro 363. prius, an sinistro (1) pede terram tetigisset; et Maximus orator Zopyrionem Grammaticum vehemen- Conring. tissime exagitabat, quod, utra ma- Ep. ad nus Veneris vulnerata sit a Diome- H.Meibom. de, haud satis haberet exploratum.



(1) Huic similis est illa quaestio, quam a multis retro seculis exagitatam intelligo, nuper vero innovatam, utrum Hannibal dextero, an sinistro oculo fuerit captus? Nepos dextero oculo non bene usum memoriae prodidit. Quaestionem iterum innovavit clarissimus Josephus Daniel occasione nacta cujusdam signi, quod Capuae inventum, Hannibalis creditum est; quod tamen oculo coecutiebat sinistro. Rem aliter putat clarissimus Marchio Josephus Mauri, Capuae Praefectus, cujus eruditas praestolamur hac de re meditationes in opere suo, cui titulus, *Hannibalis Vita* [illegible]

Deinde sunt, qui Andabatarum (1) more pugnantes, nullam certaminis legem, nullum ordinem admittunt, sed variis artibus eludunt (2) ictus adver-

(1) *Andabatarum*) Certorum gladiatorum nomen hoc est, qui obligatis pugnare solebant oculis. Allusit ad hunc pugnandi morem Cicero, immo hac voce *Andabatae* usus est in ioco quodam contra Trebatium amicum suum: *Quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus*, Epist. Fam. lib. VIII Ep. X. I. Gall.

(2) *Variis artibus eludunt*) Inter artes conciliandi plausum utique haec postrema non est, ut in velitationibus publicis spicula habeas parata, quibus risum excites inter auditores. Pulcrum est Attilae Philosophici vel Flagelli Neo-Magistrorum nomine superbire. Ad quam rem multum imprimis valent instantiae, quas vocant Logici, lepide excogitatae, in quibus expedite retorquendis ingenio opus est. Narrant Lipsiae aliquando Jac. Thomasio vitilitigatorem talem, absurditatem adversae opinionis demonstraturum, inter scommata obiecisse, *id perinde esset ac si dixeris: tute Lepus es et pulpamentum quaeris*; at cum is forte medius inter duos assideret, prompte respondebat J. T. *Quod ad Leporem attinet, illum quidem in medio relinquemus*; atque ita effusis in maximum cachinnum auditoribus omnis in Adversario vis elusa fuit. Vacabat ibidem Professio Hebr. linguae, quam cum ambiret Vir Cl. C. Z. thema e Rabbinorum Commentariis producebat in cathedram: accedebat ergo, qui ad idem munus adspirabat, quod et obtinuit postea, Vir Summe Rev. A. P. ac dubia sua urgebat maximo nisu, sed cum ille et fortiter responderet et su-

versarii, et quem argumentis non possunt, voce stentorea et futili ac inani loquacitate vincunt, joculares etiam sermones et aculeos subinde injicientes, quibus risum eliciant ex Auditoribus. Narrabo vobis, Auditores, rem admodum ridiculam et jucundam, quam in hac ipsa Academia contigisse meminerint forte aliqui adhuc e venerandis Senibus nostris. Accesserat ad nos Theologus magnae famae et existimationis, praeterea tantae gravitatis, ut solo adspectu omnium animos sibi devinciret, sed doctrina mediocri praeditus et exigua disputandi peritia. Itaque cum cathedram ascendisset, nactusque esset adversarium in hac arte exercitatissimum, et Pontificio-

H 4 rum

subinde pro more suo scommata injiceret, haec ita paulatim bilem movebant Piero, ut filum abrumpens, nullis gratiis, ut moris est, actis discederet cum verbis: *triumphator abeo*: quibus vix auditis oestro velut percitus Praeses, hoc eum versu extemporaneo insequebatur: *En modo victorem, qui fugitivus abit!* Vand.

rum, Calvinianorum, Socinianorum, aliorumque, quos fortissime debellaverat, trophaeis illustrem, alto illum supercilio despiciebat, et in cathedra hinc inde deambulando, cum primum in ipsum telum detorsisset adversarius, ingenti fastu respondebat: *Isthunc quidem nodulum vel canis meus* (quem nimirum in cathedra collusorem habebat) *solverit*; cumque eo misso alterum etiam objiceretur, tum noster, *formidandum*, inquit, *profecto et Herculeum argumentum, ad quod nec ipse*, Μυριοτεχνίτης *quicquam reponat*. Quae cum ille minus recte caperet, quod, ut fieri necesse est, haberet animum ex tanta temeritate non leviter perturbatum, negaretque se μυριοτεχνίτην: tum noster victoriam habere in manibus cernens, elato maximo cachinno, *ecquis vero*, exclamabat, *dixit, te esse* μυριοτεχνίτην? Quid multa? discedebat ex ea palaestra inglorius fortissimus pugnator. Tanta vero, Auditores, vis est impudentiae, etiam in re seria. Quod cum animadvertant nonnul-

nulli, antequam descendant in aciem, non secus ac ignavi milites solent, liberaliori haustu genium provocant, atque ita temulenti, si non penitus obmutuerint, de insigni ac luculenta victoria sibi gratulantur (1). Ita Dominicum de Flandria ajunt, cum ab Argyrophilo, Graeco, Viro singularis doctrinae ac famae, palmam reportasset in certamine litterario, solutis omnino centum argumentis, dixisse: *si alterum oenophorum* (nam unum hauserat, antequam certamen ingrederetur) *oddidissem, totam omnino Graeciam confudissem* (2). De-

Gaddius de Script. T. I. p. 102.

(1) Peripatetici olim, renatis demum litteris Scholastici, ac Sectarii omnes *Eristicam* excoluerunt, non veritatis inquirendae studio, verum frustra contendendi pruritu. Veteres *Eristicae*, quae istas contentiones alit, cultores persequitur Clemens Alexandrinus in Stromat. CHRYSOL.

(2) *Totam Graeciam confudissem*.) Agricola, celebris Medicus, ex acerrimo conflictu in febrem ardentem incidit, & Azò, illustris Sec. XII JCtus, disputandi fervore abreptus, cultro in Adversarium irruens, lethale ipsi vulnus inflixit. De Trapezuntio Poggium colaphis objurgante supra dictum, et

Denique egregie circulatores imitantur, qui, ut omnium in se oculos convertant, vestitu utuntur splendidissimo, aut certe eo qui a communi rerum usu alienior est. Non morabor veteres, Pythagoreos, Stoicos aliosque, qui cum baculum peramque gestarent, pallioque incederent, ac barbam alerent promissam, vultumque torvum ac squalidum induerent, qualis palliatus ille et crinitus barbaque pro-

et ipse memini duos Patriae meae Eruditos, oborta inter eos de verbo *inquam* controversia, multisque praemissis convitiis, mutuos tandem sibi fustes in publico vico impegisse. Alter nimirum quartae, alter tertiae Conjugationis id verbum esse contenderat. Nae vero multo his prudentior judicandus est Antiochus Sophista, qui, quod suae sibi impotentiae conscius, probe sciret, quam difficile sit

*Perversae rabidos naturae abscondere motus*,

per omnes vitae tempus domi latere maluit, quam in publico comparens, commune incontinentis iracundiae exemplum allegari. Immo vero prudentissimos illos, qui cum Wolfg. Frantzkio cunctis Disputatoribus in singularis exempli vicem commendari merentur; quique, cum reliquos dignitate forte et scientia praeeant, animi simul modestia testantur, quod

*Diversum sentire duos de rebus iisdem,*
*Incolumi liceat semper amicitia.* THEM.

prope ad pubem usque porrecta, apud Gellium; tum vero nihil sibi deesse ad dignitatem Philosophi (1) existimabant. Quorum ne sequi morem videretur Aristoteles (2), quod ne- N.A.L. IX. Cap. 2.

(1) *Dignitatem Philosophi.*) Inter illos, qui decora vestium neglexerunt, noti sunt Caspar Batthius, Jo. Bapt. Bartolus: Hier. Cardanus, Franciscus Petrarcha, & recentiori aetate Henricus Sickius. Demosthenes et Hortensius ob nimias vestium delicias olim reprehensi sunt, vid: Gellium N. A. Lib, 1. cap. 5. Basileensium quidam Professor quum videret, se ab omnibus obviis, nudato capite salutari veste ετερομαλλω (*Sammet. Petlz*) indutum, quod ante factum non esse observarat, indignabundus, vesti, non sibi, id honoris exhiberi, illam ascia arrepta minutatim concidit. Vide plura exempla in Autoris nostri Dissert. *de eo quod decorum est.* CHAR.

Dictum ab aliquo est hanc in rem:

*Croyez m' en sur ma parole,*
*Ce n'est pas vous, c' est l' Idole,*
*A qui cet honneur se rend,*
*Et que la gloire en est due*
*D' un Magistrat ignorant,*
*C' est la Robbe qu' on salüe.* I. GALL.

(2) Non Aristoteles tantum priscis temporibus, verum ipsi quoque Jurisconsulti Romani veteres illos philosophos τυς απρακτυς, sola barba et pera insignes, irriserunt. Jurisconsultis enim vestitu non minus, quam animis, elegantioribus perpetua fuit cum illis aemulatio. Multi etiam nunc philosophiam sordidis vestibus affectant, quos nedum philosophos, quam

nemo tam pauper esset et ineptus, qui Philosophum mentiri non auserit, atque illa vestium sordities paulatim risum potius ac despectum, quam admirationem concitaret, novam viam ingressus est, et pretiosissimis indutus vestibus et calceamentis, barba praeter morem Philosophorum tonsa, digitisque annulis exornatis, id egit, ut vix ipse quoque, si rem accurate perpendimus, a charlataneriae, quam vocamus, suspicione queat liberari. Ita vero et nostris temporibus fieri consuevit, ut vel inani gloriae cupiditate inflati, magna vestium pompa se efferant eruditi (1), ut videantur

Conf. Lilienthal. Mach. litt. p. 107.

quam sordium amatores appelles. Profecto Aristoteli, Demostheni, Hortensio, Tullio nitidae vestes eaeque elegantiores in deliciis fuere: nec ullus dubitat quin isti in Philosophia primas tulerint. Pertinet huc quod vulgo ajunt, *habitus Monachum non facit*. CHRYSOL.

(1) *Vestium pompa se efferant eruditi*) Scilicet:

*purpura vendit*
*Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis,*
*Et strepitu, et facie majoris vivere census.*
**** *Ciceroni nemo ducentos*
*Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.*
** *Ideo*

tur homines ad genium seculi compositi, quos *galant-hommes* lingua Gallica

---

** *Ideo conducta Paulus agebat*
*Sardonyche, atque ideo pluris, quam Gallus, agebat.*
Juv. *Sat. VII* SAM.

Nec male: eo quippe seculo vivimus, quo
*Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus*
*Creditur a mille, quamvis idiota sit ille;*
*Si careat veste? nec sit vestitus honeste,*
*Nullus est laudis, quamvis sciat omne quod audis.*

V. *Naudè Mascurat p.* 205. Nota est fabula, quam de Hermanno Buschio, holosericam vestem abjiciente, narrant. Prodeat vero hic iterum jam antea in scenam vocatus Loritus Glareanus, de quo quidem Rud. Gualterus affirmare non dubitavit; *Illum esse doctissimum omnium stultorum, quos ipse quidem in omni vita esset conspicatus.* Hic Loritus noster *in patriam Glaronam visendorum amicorum gratia commeaturus, Tigurum Helvetiae Metropolin transiit, ibique ad Ensem* (caupona est, ni fallor, publica) *divertit. Quoniam vero hic quoque necessarios quosdam habebat, adire et eos collibitum est; ideoque ab Hospite petiit, ut togam sibi quandam commodaret. Quod enim diem totum sub dio confecisset, sua, quae pluviis madebat, uti non poterat. Hospes igitur, ne Loritum non omni populo deridendum propinaret, sibi praeter amiculum domesticum quotidianumque, unicum duntaxat esse causatus est, idque, quod crocei coloris sit, ejus personae minus fortasse congruere. Verum Glareanus, nihil hunc colorem quicquam moratus, tunicam confestim afferri jubet, eaque indutus, in publicum evolat, amicosque invisit. Itaque magnus puerorum grex cum novo isto habitu prolectatus, tum ab ipso etiam hospite instructus, ingenti cum strepitu atque clamore insequitur,* hoc-

lica dicimus, vel habitum decentem cum squalore permutent, pallio velati sordido, veste tecti carbonaria, ac tibialibus incedentes ad suras demissis, non alia fere de causa, quam ut credantur omnem suam cogitationem in studia unice defixisse. Horum etsi totas phalanges producere queam, vereor tamen, Auditores, ne quid apud vos detrimenti patiatur nomen eruditi, cum tot viros eruditissimos tam parum sui fuisse stu- dio-

*hocque praeconio nobilitat*: ecce Dominum Glareanum, cujus Grammaticam discimus. *Hunc ad modum Glareanus a pueris et deductus, et reductus fuit. Sic quidem ut lippis atque tonsoribus, atque adeo non hominibus tantum sed et pecudibus ipse innotesceret*. Ista Melander in joco-ser. T. I p. 720., qui, post alia quaedam, pergit: *Caeterum Glareanum domum reversum hanc in rationem affatus est nequam hospes: ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem. Quam pulchrum est digito monstrari et dicier, hic est. Tantum autem abest, ut haec quidem hospitis cavillatio Lorito stomachum fecerit ut potius subridens dixerit; ita me profecto pallium hoc tuum civitati huic notum fecit,*

*Notior ut jam sit canibus non Delia nostris*:

*ac denique prae se tulerit, sibi non parum saepe inter eundum venisse in mentem Martialis carmen*:

*Rideris; multoque magis traduceris, Apher,*
*Quam nudus medio si spaciere foro.*

THEM.

diosos, intellexeritis. Unum non possum praetermittere Jacobum Rohault, rerum naturalium scrutatorem profundissimum, qui pileum frequenti plica (1) deformem portare sueverat: itaque Molerius, cum Philosophum umbraticum producere vellet in theatrum, pileum illum mutuatus eo rem deduxit, ut vix eo conspecto omnes Rohaltum agnoscerent atque effusissime riderent.

Praeterea vero nec desunt, qui semet ipsos data opera deridendos pro-

pi-

(1) *Pileum ſrequenti plica*) *Einen Hut mit etlichen Krempen*; testatur *Grimaret dans la vie de Moliere*, id in dramate *le Bourgeois Gentilhomme* factum esse. Conf. Acta Erud. An: 1706, p. 84. M.

Paullo aliter res haec se habet, quam quidem Autor noster retulit. Rohaltus pileum suum non concessserat, probe nimirum gnarus, quem in finem a Molerio desideraretur, ut nimirum in Theatro se deridendum propinaret. Alius itaque sumendus erat huic simillimus: certum etiam est, obtinuisse Comoedum quod optabat, quandoquidem Spectatores continuo pilei Rohaltiani reminiscebantur. *Moliere*, Grimaretus inquit, *travalloit toujours d'apres nature. Rohault, quoique son ami, fut son Modèle pour Philosophe du Bourgeois. Gentilhomme*. Vie de Moliere p. 163. I. GALL.

pinant, modo id videantur consecuti ut omnium in ore ferantur, velut novum quoddam et inauditum facinus aggressi. Quam in rem unus nobis instar omnium erit Henricus Loritus Glareanus, Erasmi familiaris, qui Rasiliae primum Philosophiam et deinde Friburgi Brisgojae Historiam et Poesin ingenti plausu publice professus est. Nimirum magna fuit olim inter Professores Basileenses controversia, ecquis Glareano in Professorum numerum cooptato in publicis congressibus locus esset assignandus. Etenim cum illustris esset Poeta et Commentariis aliquot in lucem editis clarus, Magistrorum subselliis videbatur superior; quia vero Doctoralibus insignibus non erat ornatus, inter ejus ordinis homines non videbatur admittendus. Itaque bonus Glareanus, vel inter Scholasticos delitescere, vel Magistris extremus adhaerere cogebatur. Tulit id quidem molestissime, dissimulavit tamen, futurum sperans, ut sibi honestior aliquando assignaretur lo-

C. Ens Epidorp. L. IV. p. 115.

locus; verum, posteaquam rem exitum nullum habere vidit, rationem aliquam comminisci instituit, qua certum inter Professores locum inveniret. Itaque cum Doctores nonnulli creandi essent, asinum conducit et conscendit, et in Gymnasium sic invehitur, et Scholasticorum coetui immistus, sic asino insidens, omnium oculos in se convertit. Variae tum erant, pro cujusque ingenio, spectatorum cogitationes. Erant, qui subverebantur, ne homo e mentis potestate exiisset: alii vero risu prope rumpebantur, quoties asinus vel ruderet, vel calcitraret: alii denique putabant fieri hoc ab eo, ut Doctorandis medium ostenderet digitum, eorumque insulsitatem perstringeret. Quid multa? coepit ad extremum ejus scholae Rector e Glareano ipso percontari, quamobrem jumento isto sic in panegyrin hanc deferri voluerit? Ut, respondit ille, certa mihi sit et stabilis sedes; tot enim nunc menses dubitatis, inter Doctoresne an Magistros mihi locus assignandus

sit; quamobrem ut et vobis hunc scrupulum evellam, et mihi ipsi non desim, constitui deinceps huic asino insidere, et ex eo vos audire. Sed mittamus asinum.

Jam restabat, ut singulas scientiarum classes lustraremus, ea advertentes inprimis, quae passim ad fallendam alliciendamque in Republica litteraria plebem mira ingenii humani perversitas excogitavit; at cum temporis habenda sit ratio, haec in aliam panegyrin rejicimus, eoque propius nunc accedimus ad id, quod hujus diei celebritas a nobis exigit. Et quoniam, more ac consuetudine majorum laudabili, publica in hac panegyri a Candidatis Magisterii edi specimina, receptum est, tu primus in hanc scenam prodeas, J. D. S. Philos. et Bon. Art. Licent. ac nomine Nationis Misnicae Orationem Latino sermone compositam de pruritu contradicendi, de quo nos quoque paullo ante nonnihil tetigimus, breviter edisseras.

Tur-

* * *

Turpitudinem, quam studium ἀνδολκης secum trahit, egregie nobis depinxisti, doctissime Domine Candidate, nec quisquam nostrum futurus est, qui tibi contradicendi pruritu agatur. Quin potius omnes ambabus manibus applaudunt, et has tibi cogitationes, hanc mentem perpetuam esse cupiunt.

Ad te nunc convertor, doctissime itidem Philosophiae et optimarum artium Licentiate, S. B. et quoniam Graeca amas inprimis, in quibus illustrandis, cum jampridem eximios tuos labores probaveris Orbi erudito, et nomen quoque apud summos viros consecutus sis, nomine Nationis Saxonicae, quae in patria tua per tot saecula floruit, nunc Graecam Oratiunculam de capessendis honorum gradibus Academicis recita.

* * *

Σοφως, καλως, αγαδως, ita tibi plane applaudo, mi B. quemadmodum veteres quoque Oratoribus suis publice acclamasse accepimus. Pergas hac

via, quam ingressus es, et ut in Homero hactenus et Aristophane, ita in Herodoto quoque, quem sub manibus habes, aliisque Graecis auctoribus ornandis operam porro strenuam ponas, nec unquam tibi credas amicos, qui quoscunque honores mecum impense tibi gratulentur, nunquam Maecenates defuturos, qui novis honoribus et lautissimis, quae mereris, praemiis te cumulent.

At tibi quoque pulcrum est aliquid in Graecis conari, politissime J. G. G. Philosophiae et Bon. Art. Licentiate, qui, cum apud animum tuum perpenderes, quae tristia nuper fata experta sit florentissima civitas, de metu graviori propter bella urbiumque incendia, nomine nationis Polonicae, Graecum nobis carmen decantabis.

* * *

Ohe! jam satis est querelarum: avertat sinistrum omen Deus immortalis; tibi vero, quoniam de incendiis dixisti, accendat animum, ut paullatim bonis literis lucem affun-

das

das fulgentissimam.

Nulla utique salus bello, pacem te poscimus omnes. Itaque Tu, solertissime L. M. Phil. et Bon. Art. recens create Licentiate, nomine Nationis Franconicae, de pacis Traſectinae fructibus, quod in promptu habes, carmen heroicum Latinum nobis non invideas.

* * *

Auguror, te Poetam olim futurum non publici saporis, sed tersum satis atque elegantem. Faxit autem Deus, ut pax laeta ac proficua propediem affulgeat, pax optima rerum, quas homini novisse datum est!

Jam audiendi etiam essent reliqui, nisi temporis habenda esset ratio; et persuasos vos satis esse puto, Auditores, neminem esse ex tota hac Candidatorum corona, qui non paria praestare valeat. Quin audeo ipse asseverare, vix unquam e Facultate nostra tot in scenam productos fuisse Viros juvenes apprime eruditos, quorum aliqui jam publice tuendis thesibus auditoribus eru-

ditionem probarunt, alii non Graecis modo, sed et Latinis optimae aetatis autoribus edendis atque illustrandis, alii denique historiae litterariae juvandae ita operam addixerunt, ut nomen in erudito orbe jamdum fuerint consecuti.

Cum igitur vos, praesentes optimarum Artium Licentiatos, voti vestri, ut Magisterii axiomata consequamini, reddi compotes unanimi inclytae Communitatis Philosophicae decreto sit constitutum, agite, antequam, quod mearum nunc est partium, absolvam, eminentiorem hunc, vobis peculiariter paratum, omnes et singuli conscendatis locum.

CATHEDRA:

Ecce, primum in altiore hoc vos collocavi loco cathedraque, non, ut cathedrarios, umbratilesque, sed sincerae doctrinae Philosophos, ut intelligatis vos Scholasticorum censu jam esse eximendos; veterum nempe Romanorum exemplo, qui militem spectatae virtutis, ad se in sublimus tribunal receptum, coram to-

ta

ta concione laudabant, et imitandum reliquis proponebant.

PILEUS.

Pileos rotundos, violaceosque vobis impono: pileos, inquàm, tanquam signum libertatis, non effrenis quidem illius, quam in Republica Literaria nequaquam tolerandam ostendi, sed quod emissi jam sitis ex angustis studiorum cancellis in campum liberum publice docendi. Rotundos, ut rotunde ad quaesita, quae vobis incumbunt, et non per ambages et Sophistarum more ambigue respondeatis, doceatis. Violaceos, qui humilitati proprius color est, ut superbiam deponatis, et non elato, ut illi, quos in Charlataneriae censum posuimus, animo incedatis.

LIBRI APERTI.

Libros vobis aperio, ut, antequam vos Magistros renuntiem, intelligatis, e quibus profeceritis magistris, eosque diligenter habeatis ante oculos, nec ideo quod ipsi audiatis Magistri, prorsus credatis ex manibus deponendos. Neque tamen

existimetis, in omnibus rebus vobis, aeque ac tyronibus ad dictionaria sua, ad libros esse recurrendum. Quapropter

LIBRI CLAUSI.

claudo iterum libros, autorque vobis existo, ne vosmet mancipetis aliorum sententiis, et multum quidem aliorum judicio, aliquid et vestro tribuatis, continuo memores illius: amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas.

ANNULUS.

Denique hunc annulum vobis induo, quo vos castissimae virgini Sophiae desponsatos utique cupio, cui perpetuo vinculo conjuncti, nunquam patiemini vos ullis malevolorum persuasionibus a sapientiae tramite dimoveri.

His ita peractis nihil superesse videtur, quam ut vobis decretos a Facultate honores solemni actu impertiam.

RENUNCJATIO.

Quod igitur aeternus et misericors Deus, Pater Domini nostri JESU Chri-

Christi, in divini sui nominis gloriam, Ecclesiae, Reipublicae Christianae et Academiae salutem, vestrumque omnium honorem atque emolumentum bene vertat; Ego Johannes Burch Menckenius, Lipsiensis, J. V. D. Potentiss. Regis Poloniarum et Electoris Sax. Consiliarius et Historiographus, Historiarum in hac Academia Professor Publicus, Facultatis Phil. Assessor, et hoc tempore Decanus, autoritate plena et potestate, a Spectatissimo Domino Procancellario mihi concessa, Vos optimarum Artium et Philosophiae Licentiatos, nominatim.

* * *

Vos inquam, numero triginta quatuor, omnes et singulos, absentes tanquam praesentes, optimarum Artium et Linguarum Magistros, id est, totius verae, salutaris et infucatae Philosophiae facio, creo Doctores, factos creatosque publica voce renuntio, tribuens vobis plenam potestatem docendi hic et ubique, cum omnibus privilegiis, juribus et com-

commodis, quibus Magistrorum ordo, more antiquo et recepta hujus Academiae consuetudine, uti frui consuevit, et quibus notis distingui eos a reliquis ordinibus Majores nostri voluerunt, in nomine Dei Patris, Dei Filii et Dei Spiritus Sancti, Dei triunius, a quo, in quo, per quem et ad quem sunt omnia, qui est totus, unus, ipse. Amen.

Quoniam vero Magistri praecipuae partes sitae sunt in docendo et explicando bonos Autores, ut auditores etiam de hoc possint esse securi, faxis intelligant ii, qua dexteritate tu, J. C. O. Linguarum, Artium et Philosophiae recens create Magister, qui primus in ordine adstas, nobis jam breviter pensum e libris Philosophi ad Nicomachum explicare possis.

* * *

Credo de viribus tuis persuasos esse satis Auditores, quare non est ut patientia illorum diutius abutamur.

Nunc

Nunc, quod unicum nobis reſtat, et ipsà in Deum et Superos pietas jubet, tu, C. G. B. Philos. Linguarum et Liberal. Artium Magiſter, felicem huic Actui colophonem decenti gratiarum actione imponas.

DECLA-

Digitized by Google

# DECLAMATIO II.

*Magnifice Accademiae* RECTOR,
*Spectatissime Fac. Phil. Decane*,
*Viri coeteri excellentissimi*,
*Tuque ornatissima Studiosorum Corona*.

Ex quo primus omnium mortalium in maxima rerum praestantissimarum affluentia coepit nausaeare, coelumque ipsum petere stultitia, ita cunctos implevit rerum novarum studium, ut, quo quis doctior prudentiorque habetur, eo flagrantius insectetur ea, quae et mira et stupenda et a publico rerum ordine videntur aliena. (in Encomio Calv.) *Quod intellectu facillimum est*, ut Synesii verbis utar, *despicitur, prodigiosae narrationes afferantur, oportet*. Nimirum is demum de plau-

su

su securus est, qui uti Amphion uniones et gemmas allicere, ut Giges oculis praesentium se surripere, ut Janus biceps non minus ſutura quam praeterita intueri, et ut Daedalus per aera volitare didicerit, montesque aureos, insulas errantes, minotauros, chimaeras, gryphos ac difficiles nugas alias crepet. Ut nihil dicam de Apollonio, Theophrasto, Cardano atque aliis, qui cum essent absurdissimi, suos tamen admiratores invenerunt; non possum quidem praeterire Guilielmum Postellum, qui cum somnia sua atque delineamenta de Virgine Veneta, quam matrem suam Johannam appellare consueverat, publice exponeret in Collegio Lombardico, tantam auditorum multitudinem conclavit, ut plurimi, quos haud capiebat spatiosa area, ad ſenestras, admotis scalis, adreperent (1). Quae Fratres Ro-

Naudè Instr. sur l' Hist. des Fr. de la Roze Croix p. 5.

(1) *Admotis scalis adreperent*) Eousque Postellum fa-

Roseae Crucis (1), quanto hominum

---

fascinavit mulier haec Itala, ut praeter publicas illas praelectiones, librum etiam peculiarem de Virgine Veneta conscripserit, in quo hanc suam Johannam, alteram Mariam Virginem et foeminei sexus Redemptricem laudare non dubitavit. Conatus etiam est, secundum quorundam Autorum testimonia, Auditoribus suis, magno numero congregatis, persuadere, se a mortuis resuscitatum, perque singulare artificium juvenili vigori restitutum esse: id quod inde facilius quidam crediderunt, quod Postellus Parisiis in Orientem abiens, annosus jam esset et canescens, nunc vero rediens post annos bene multos, nigra barba ornatus, et quasi vegetae aetatis Vir incederet. Verum fraus statim detecta fuit, cum Postellum nigro pigmento capillos tinxisse innotesceret. Erat alias Vir abstrusae imaginationis, praestantis ingenii, sed perexigui judicii, quod porro, tot linguas orientales discendo, tantum non penitus corruperat: ita ut jure eum Is. Vossius *Hominem non satis sani syncipitis esse* asseruerit in Observ. singul. p. 367. Et quamvis magni a multis fiat ejus notitia linguarum, recte tamen judicasse videtur Scaliger in *Excerptis*, quae ab ipso nomen gerunt, *prioribus* pag. 125. quod scilicet *nullius linguae ad unguem fuerit peritus*. Mirum igitur, quod aliquibus nugae Postelli in tanto fuerint pretio, ut omnia ejus verba velut tot oracula, et ex tripode dicta apophthegmata suspexerint. Vid. Pope-Blount in *Cens. Aut.* p. 670. Multo sanius de ipso judicium tulit Naudaeus in *Instruct. ad Galliam suam de fratr. R. C. p.* 8. ubi et historiam superius allatam exponit; add. Sammarthanus in *Elog. L. III.* I. Hall.

Idem laudatus Scaliger c. l. *vere stultum fuisse*, aperte dicit, quippe alias vivi-comburium non effugis-

num non obesae naris plausu fuerint commenti, Vir elegantissimus Gabriel Naudaeus luculento ac lepido libello exposuit. Quos porro non fascinavit ars magna Lulliana, e coelo, si Diis placet, demissa? Enimvero citius utique e tenebris Heracliti lucem,

gisset. Sic Baconi quoque *Vir capite motus et non integrae Phantasiae* vocatur in Tr. de Long. et brev. Vitae. Omnem vero miri hominis historiam accuratissime, post Colomesium et Observatores Hallenses, exposuit Autor *Memoriarum litterariarum*, quae nuper in Belgio edi coeperunt, T. I. Art. 1. qui tamen et ipse elegantem B. Ittigii Exercit. Historico-Teologicam de Gu. Postello ignoravit. Q. Marc.

(1) *Fratres Roseae Crucis* ) Hi Illuminatorum, Immortalium, Invisibiliumque nominibus passim se iactabant. Ingentes sibi tribuebant laudes, quarum aliquas colligere licet ex scripto, *Avis aux Curieux*, quod aliquando affigi publice curabant, quodque Morerius hac ratione exhibet: *Nous deputez de notre College principal des Freres de la Rose-Croix, faisons sejour visible et invisible dans cette ville etc Nous enseignons sans livres, ni marques, etc. parlons des Pais ou nous voulons etre, pour tirer les Hommes nos semblables derreur de mort etc.* Tantum famae haec hominum colluvies in orbe litterato acquisiverat, at non pauci Eruditorum eorum sacris initiari desiderant, quemadmodum de Cartesio tale quid me legisse memini. I. Gall.

cem, e dubitatione Socratis certam scientiam, et e Diogenis stultitia sapientiam elicias, quam ex illius logogryphis et thaumaturgicis micam salis. Et cum nihil, ut vulgo ferunt, tam absonum, nihil aeque ab omni ratione remotum excogitari queat, pro quo non sapientum aliquis tanquam pro aris et focis depugnaverit; ita non minus vere affirmaverim, neminem unquam extitisse tam stolidum, tamque insipidum prorsus et inficetum, quin nactus fuerit assentatores, longe, ut par est, se ipso stultiores. Neque enim defuere, qui cum Heraclito primum principium, cum Parmenide rerum pluralitatem, eum Protogene veritatem ipsam negarunt, aut cum Anaxagora coelum lapidem et nivem nigram sibi persuaserunt. Praeterea quamvis uno omnino Deum Opt. Max. non solum res humanas presentes omnes uno obtutu contueri, verum et ea, quae futura sunt, longissime prospicere, ipsa nos doceat religio, multi nihilominus mortalium futuros rerum

even-

eventus curioſiſſimo oculo rimati ſunt. Non memorabo nunc Merlinum Anglum, Joachimum Germanum, Savanarolam Italum, Johannem Pariſienſem, tum Teleſphorum de Cuzentia, Dandalum, Ruſticanum, Ubertinum de Caſali, Lolliardum, Noſtradamum, Lichtenbergenſem et febriculoſos centum alios, quorum quidem ſomnia haud infimi ſubſellii Viri eruditi, Arnaldus de Villanova (1), Cyprianus Leonicenus, et Cuſanus Romanae Eccleſiae Cardinalis avidiſſimis auribus excepere; quin potius hominem novum produ- Naudè l. c. p. 6.

K cam,

(1) *De Villanova* ) Non idem hic eſt cum *Villanovano*, de quo in *Alcorani et Evangelicorum Concordia* fol. 72. mentio facta eſt, quemadmodum Naudaeus credidit. *Apol. des grands homm. Ch. XIV.* Hic enim qui pro Autore libri de Tribus Impoſtoribus venditabatur, hominesque generandi in Cucurbita experimentum ſumſerat ( *vid. Naudè l. c. p.* 378. ) plus quam ducentis ante illum annis vixit, quem nonnemo haud improbabili coniectura pro Michaele Serveto habuit. *Vid. Aut. des Memoires de Litterature.* I. GALL.

cam, Isaacum Bickersstaff (2), Anglum, qui sive serio, sive ut vesanae hominum curiositati illuderet, tot porten-

(1) *Isaacum Bickersstaff*) Fictum est nomen, quo autor imprimis etiam inclaruit, cum libellum, *the Tatler* vulgaret, quo mores Anglorum mire perstrinxit, unde in Dedicatione Epistolarum Obscurorum Virorum, Londini 1710., 12. editarum, quae ad ipsum directa est, elogio *Censoris M. britanniae* mactatus est. Enimvero quae ille, Calendariographi personam induens, praedixerat, ideo tantum vulgaverat, ut horum hominum, quos Angli curiosius sectantur, vanitati illuderet. SAM.

Nulla aetas ab hujus generis praedictionibus vacua fuit, nec illae deinceps cessaturae sunt, quantumvis in annalibus diligenter earum vanitas annotaretur, quod ut fieret, Baelius optavit. *vid. Dict. H. C. Art. Ottoboni*, *Rem. F.* Agit hoc in loco de Mediolanensi quodam, qui Pontificis mortem praedixerat, cujus rei eventum tota tum fere Europa anxie expectabat, ipso praedictionis autore paullo post mortuo. Ceterum Tertullianus augures hos plerumque id spectare observat, ut tumultus excitent ac publicam quietem turbent: saltim eos animum prodere a bono publico alienum. At bona cum Baelii et Tertulliani venia *Bickersstaffium* et Mediolanensem illum Prophetam horum numero eximere liceat. Ille enim Reginae suae Horoscopum non attigit; sique seditiones praedixit, eas nonnisi in iis regionibus futuras praedixit, adversus quas justum Anglia bellum gerebat. Hic autem in ipsis fere Ecclesiasticis ditionibus Pontificis mortem praedixit; verum biduo post, obitu suo, animi sui innocentiam confirmavit. *vid. Dict. H. C. Art. Lutorius Rem. A.* I. GALL.

tentosas summorum Principum mortes eodem anno annuntiare ausus, non Angliam modo, verum et Orbem universum diu anxium tenuit et sollicitum. Quae cuncta dum recta lance perpendimus, haud aliter profecto comparata videntur, atque Empiricorum deliria, qui ut miseram plebem illiciant ac fallant, mimos et praestigiatorum omne genus, simiasque et mures alpinos alunt, atque inter haec jactitantes sua pharmaca, panacaeas, emplastra, spectatorum marsupia callidissime emungunt. Jampridem, ni fallor, intellexistis, Auditores, quorsum mea tendat oratio; nam cum de Charlataneria Eruditorum generatim ex hac ipsa cathedra dicere coeperim abhinc biennio, restabat, ut hoc tempore, quo Procancellarii munus in me delatum video, quae dicenda supersunt, reliqua paullo distinctius percenserem. Quod dum paro, id mihi curandum praecipue intelligo, ne circulatorum, quos rideo, consuetudinem ipsemet amplecti deprehendar, neve in ipso

orationis meae limine nimio ambitu utar, verbisque sesamo, quod ajunt, et papavere sparsis ad arrigendas aures Vos exstimulem, Auditores; nihil enim addo praeter veterem formulam: linguis animisque favete.

Prima nobis prodeat Grammaticorum ac Criticorum gens aspera et ferox (1), qui cum pueros ad virgam obsequentes habuere in scholis, nulli eruditorum parcunt (2), et in ipsum

(1) *Gens aspera et ferox* ) Bene est, si suis hariolationibus addant, *ἴσως* vel *forte*; sed tum Principatum sibi vindicant, cum his formulis utuntur: *lege meo periculo*; *legere jubeo*; *ita legi debere*, *quovis pretio ausim contendere*; *nihil videam*, *si non ita legendum sit*, et ubique, quamvis sensus sole meridiano clareat magis, nebulas obscurissimas, portenta Lectionum, Augiae stabula, deprehendunt. SER.

(2) *Nulli eruditorum parcunt* ) Gravis est ea de re querela. Thomas Brown in *Religione Medici P. II Section.* 3.ª ita loquitur; *quae rixae, quae praelia Grammaticorum! quoties solummodo, quid Jupiter in Genitivo gignat, contenditur? Quam misere sibi ipsis cerebrum comminuunt, ut Prisciani calvitium tutentur? Si foret in terris, rideret Democritus. Imo de eiusmodi lana caprina etiam a prudentioribus non raro confligitur. Quot vulnera data et accepta sunt? Quanta nominum strages edita? Quoties de ignobili aliqua opinione*

ipſum Orbem Romanum Graeciamque univerſam principatum (1) quendam am-



*nione, aut vili diſtinctiuncula praelium inſtituitur? Doctorum quidem togae ſunt, non arma; at linguis utuntur Actii novacula acutioribus, et calami ipſorum ipſis tonitribus longius petunt, longius audiuntur. Archibaliſtae furorem excipere malo, quam saevientis calami.* Suum huic calculum addit Leo Allatius *de Patria Homeri p.* 108., ita ſcribens; *Ea eſt cenſorum rabies et faſtus, ut, dum autores corrigunt, mentem illius, qui dixerit, non inquirant, ſed quid debuiſſet dicere, et modum illum praeſcribant, quem ipſi rectum judicant, non quem autor ille ſervavit. Quare ſuperſtitioſa quadam et lima plus aequo iniqua ita auctorum dicta pertractant, ut in alium coelum deferant, et auctores ipſi, ſi reviviſcerent, propria ſcripta, uti ſibi incognita, deteſtarentur. Ne exemplis rem ſatis notam confundam et Plauti aliorumque Poetarum manes novis queſtibus exturbem, quid intentatum recentiores iſti cenſores argutulis ſententiolis et otioſis ad nequitiam uſque correctionibus in uno Tacito reliquerunt? Fere omnia a prima illa facie, et antiquo proſpectu, quo in publicum primum venit, in venuſtiorem, ac placidiorem, ut ipſis placet, immutarunt. Quorum ſtudium ſicuti, ubi opus fuit et lacera ac inverſa auctoris verba remedium poſcebant, eoque praecipue, ſi aliorum codicum auxilio id factum ſit, laudo; ita, ubi ſimilis neceſſitas non urget, ſed ut ingenium oſtentent, ex ingenio corrigunt, et ſupplent, diligentiam vitupero.* Scrib.

(1) *Principatum*) At deſpoticum hoc imperium tam ſuave nonnullis exiſtit, ut illud non modo nobilitati ſed et Regnis praeferre non dubitaverint. Teſtes hic produco *Dionyſium Halicarnaſſeum*, ex Re-

ambitiose sibi vindicant. Sive enim Graecus, sive Latinus Scriptor proponatur, non tam id agunt, ut scite et apposite dicta evolvant ac nitori suo reddant, quam ut nodum quaerant in scirpo, et ad manuscriptos codices confugiant (1), variasque lectiones

Rege Ludimagistrum factum; et *Ferdinandum Nunnez*, qui objicientibus, parum nobilitati Familiae ipsius convenire, hanc ipsam pueros docendi provinciam, *Perdo equidem*, inquiebat, *apud quosdam vanissimum illustris Viri titulum; est mihi autem vicissim in multos alios verum aliquod imperium, quo prorsus contentus vivo*. I. Gall.

(1) *Ad MStos codices confugiant*) Sunt certe hodienum Viri κριτικώτατοι bene multi, quos cum Beccatello praediolum suum pro unico Livii MSto vendidisse non pigeat; (vid. Baillet *T. I p.* 546.) quibusque Codex longa carie ac situ squalidus tanti est,

*Quanti vix Priamus totaque Troja fuit.*

Scilicet ultra vulgus sapiunt haec SS. Antiquitatis mancipia, et bene norunt, ex quovis vetusto Romanorum stercore recens aurum colligi posse. Iisdem tamen palmam superstitiosae ineptiae, si non praeripit, certe dubiam reddit alind Cuminisectorum genus, quod omnia mavult sceleratae crimina vitae admittere, quodve

*Aedes sacratas populari, fanaque Divum*
*Contrectare velit;*

quam pati, ut Classicus suus Autor erroris vel mini-

nes, nullo habito delectu, cumulent; tum vero urere, secare et nihil a virgula censoria intactum relinquere. Et quanta quaeso litigia, quanta bella exoriuntur, si ab istis Hypercriticis et Pantocriticis vel latum



nimi reus postuletur. Quo fit, ut miseri homines per integrum saepe novendium ungues rodant, donec inveniant, unde *verberabilissima* quaevis et manifesta Idoli sui (antiqui inquam Scriptoris) paroramata invita minerva, invitis musis, nescio quo fuco obducere, et tantum non pro elegantiis impervestigabilibus credulo lectori obtrudere possint. Ridet hoc nomine *Mascuratus Naudaeanus* p. 219. Pontanum, Mazzovium et Galluccium, quibus Turnebum ego junctum volo et Gruterum. Hi omnes mire ingeniosi fuerunt in excusando Mantuani Vatis Anachronismo, quando ille IV Æneid. v. 366. Palinurum Velinos portus laudantem introduxit, cum tamen Velia tum quidem nuspiam terrarum exstiterit. Multo itaque expeditius de tota controversia Servius judicavit, qui optime, *haec in opere*, inquit, *inemendato miranda non sunt*. Conf. si tanti est. A. Gellius N. *A. X.*, 16. Quanto fervore hoc nostro tempore Galli pro Homero suo digladientur, omnibus constat, et publica Reipubl. Literariae Acta loquuntur. Ex Nummophilis unum addo Adolphum Occonem, qui Gordianum argenteum tanti redemerat, quanti postmodum fateri puduit; notatus tamen ob id ipsum a Patino, qui maiori fastu, an vanitate? publice testatus fuit, sibi pudori futurum si rem tantam tantulo pretio coemisset. Them.

unguem discesseris? Neque enim duorum ullum est, quin laesae majestatis (1) literariae reum te acturi continuo, et de lana caprina litem intentaturi sint gravissimam. *Itaque ars critica*, ut loquitur nostri temporis Tullius, *quae discrimen erat veritatis, et temporum, atque falx errorum, nunc seditionum literariarum fomes* (2), *ac turbo ingeniorum evasit*. Hi

Gravina Orat. III. p. 137.

(1) *Laesae Majestatis* ) Observatum est dudum facile irasci, difficulter autem placari posse Grammaticos. Commune hoc ipsis est vitium cum aliis multis et praesertim Theologis. Regiam Majestatem quandam laesam putares, quodsi omnibus eorundem effatis non illico coeca quadam obedientia subscripseris.

*Qui meprise Çotin, n' estime point son Roi*
*Et n' a selon Cotin ni Dieu, ni Foi, ni loi.* I. Gall.

(2) *Seditionum literariarum fomes* ) E veteribus Gellius XIV, 5. producit elegantia exempla: E recentioribus pertinet huc exemplum Manutii et Lambini de scriptura vocis *consumtus*, non sit scribenda *consumptus* an *consumtus*, de quo risu digna habet Boccalinus *Relat. ex Parnasso*; Nizolii et Majoragii, quoniam Majoragius non tantus aestimator erat Ciceronis, ac Nizolius, de qua controversia videatur Jo. Imperialis *Museum historicum* et Freherus in *Theatro P. IV p.* 1455.: Siberi ac Decimatoris, vide Morhofium *Polyh. litter. IV*, 9., 13

Leon

Hi nimirum ſunt illi censores Catulliani, qui *vecordem solent excitare rixam, ut veniant in ora vulgi*. Quos inter exercitum e veteribus (1) ducit Asi-

Leon. Aretini et Francisci Floridi Sabini, de discrimine linguae Romanae doctae et plebejae, vid. pluribus Morhofium *de Patavinitate Liviana cap. VI.* De Politiano dicit Mornaeus de veritate religionis Christianae: *Politianus Scripturarum lectionem plane rejiciebat. Videamus, quid idem in pretio habuerit; disputavit, quamdiu vixit, dicendumne esset Vergilius an Virgilius, Carthaginensis, an Carthaginiensis, primus an preimus, et si quid otii ab istis nugis superfuit, epigramma aliquod Graece composuit in Cupidinis aut praeposterae Veneris laudem. Grave profecto hominis judicium, dignum, quod praejudicium adferat nobis*. Plura habet Paschius in *Invent. nov-antiquis p.* 69: Char.

Huc referendi ſunt illi, qui studiose solent colligere vitia grammaticalia. Elegans exemplum profert Charisius ab Amicis Epistola de paed. et galantismo Latinae linguae; *de C. C. ab amico quodam mihi e B. haec scripta fuerunt*: cum inviserem C. multum disputavit de C. P. deinde varios libros mihi ostendit, in quorum margine vitia Grammaticalia notaverat, quae digito mihi monstrabat, haec verba adiiciens: *his armis de hostibus meis triumphare possum, et quum destitutus sum omni spe, unicum solatium mihi sunt*. Vand.

(1) *E veteribus*) E recentioribus vero post renatas litteras nulli certe fuit secundus celeberrimus Laurentius Valla, qui id propterea fuit *Canis Grammaticus* appellatus. Nos de eo pluribus ad Pontani ver-

Asinius Pollio, qui et Livio et Sallustio et ipsi Romanae eloquentiae patri Ciceroni suos naevos exprobabat *. Referunt de Francisco Philelpho, quod, cum de unius vocabuli Graeci genuino sensu barbam stipulatus esset cum Timotheo, victorque demum evasisset, nullis Timothei precibus adduci potuerit, ut barbae parceret; discissam utique barbam velut ingens trophaeum circumferens in triumpho (1). Et plerum-

versionem *de Principe*. Cuius fastum censorium nemo exposuerit magis apposite, quam is, qui post ejus obitum ita scripsit apud Volaterranum.

*Ohe ut Valla silet solitus qui parcere nulli est!*
*Si quaeris quid agat, nunc quoque mordet humum.*
CHRYSOL.

* Vide exempla plura selectissima tum veterum, tum recentiorum, apud Agrippam de vanitate Scient. Cap. III sub fin. et conf. nostram Orat. I. M.

(1) *In triumpho*) Applausum est triumphanti Victori sequenti Epinicio:

*Lis super accentus Graeci ratione Philelphum*
*Timotheumque inter (Graeculus ille fuit,)*
*Orta est: dissidium placet hoc sopire periclo,*
*Graeculus es: barbam victor ut ille ferat.*
*Di bene, Romanus superavit: et ille coactus*
*E pacti barbam tradere lege fuit.*

Exul-

rumque sane circa minutias et quisquilias occupantur homines isti, qui et Graecorum morbus fuit; qui *quem numerum remigum Ulysses habuisset? priorne esset scripta Ilias, an Odyssea?* et similes quaestiunculas alias miro conatu agitabant: et Romanis adeo familiaris erat, ut ipse Tiberius Imp. minutiarum illarum usque ad ineptias et derisum studiosus; his plerumque quaestionibus exerceret Grammaticos: *quae mater Hecubae? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sueverint?* et reliqua. Et hinc de re minima vasta saepe volumina conscripta videas: nam et Nicanor Grammaticus sex libros de puncto Grammatico composuit, et Messala Corvinus de litera S, ac Mart. Fogelius de Germanorum litera B (1), prolixius disserue-

Seneca de brev. Vitae C. 13.

Suetonius in Vita ejus C. 70.

V. Lienthal de Machiavellismo literar. p. 115.

*Exultas spolio: Graecaque Uxore superbis,*
*Non est ingenio laus minor ista tuo.*
sic Latomus in *Elog. Doct. Viror. Jovli p.*44. THEM.

(1) *De Germanorum litera B*) De litera Q et ejus pro-

ruerunt, ut taceam Agnum Benignum Sanrey, qui de recta nominis Paracleti pronuntiatione integrum tracta-

pronuntiatione acriter disceptatum in Gallia A. C. 1550., Sorbona sonum patrium in vocibus Latinis defendente, et unum e Sociis retibus suis spoliante, quod veterem pronuntiationem Latinam Gallicae anteferat, et P. Ramo veterem adstruente pronuntiationem, nec approbante illa vocabula *quisquis*, *quanquam*, per *kiskis*, *kankam* efferri. Vid. Zwinger. in *Theatro vitae hum. L. I f.* 110. Scrib.

Sorbona utique A. 1550 decreto solemni syllabae cuiusdam Latinae pronuntiationem determinavit. Verum res mira non est. Nonne et Angliae Parliamentum quasdam Syllabas Graecas certa ratione pronuntiare jussit? Nonne Tiberius Senatum Romanum unica de voce sollicitum reddebat, ita ut mandati cujusdam non parvi momenti publicatio differenda esset, donec vox commoda inventa, aut ipsa res periphrasi idonea explicata esset? Tandem nonne vidimus Reverendissimos Patres nostos *Wallones* altercantes per integras aliquot Sessiones, an dicendum sit: *raier*, aut *raturer*; an probum sit vocabulum gallicum, *Prechèrie*; numque *perdu* idem significet ac *suspendu*. Vid., *l' incertitude des Sciences, traduite de l' Anglois Art. III it.* Sueton. *in Vita Tib. Art. LXX et des Memoires Anecdotes de Synodes Wallons An.* 1707. I. Gall.

Alia lis est inter Criticos de Orthographia, utrum scilicet Literae Q insit vis τοῦ U, quod adeo firmiter sibi persuasit Thomas Gatakerus, ut integrum opus M. Antonini Imp. *de rebus suis* ita curaverit imprimi Cantabrigiae 1652, ut U post Q omitteretur

ctatum ſcripſit, et alios (1). Neſcio vero, annon et inter inanes lites (2) no-

tur, et v. g. *qi, qae, qod* ſcriberetur, quod quantum offendat Lectorem, quivis facile intelligit. Et Gatakero haec forte condonanda: at illud vix ferendum, quod Belgae, cum *Opera* illius *Critica* junctim ederent Trajecti ad Rhenum 1698., eandem rationem in hoc ſcripto ſervaverint, in ceteris communem ſecuti. VAND.

(1) *Et alios*) In hunc itaque cenſum referas Luciani Dialogum, cui titulus: *judicium vocalium*. Ubi imperante Ariſtarcho σιγμα litem intendit literae T. ταυ apud ſeptem vocales judices vi et raptui praefectos, expoliari ſe dicens omnibus illis vocibus. quae per geminum ταυ efferuntur. CHRYSOL.

(2) *Inanes lites*) Occaſione Diſceptationum nullius momenti, proferam ſalſe dictum aliquod Caſauboni, qui, quum prima vice in Sorbonam deduceretur, antequam eadem renovata eſſet, accipetque ab aliquo: *Hoc eſſe nimirum Conclave illud, in quo per quadringentos annos diſputatum fuerit*: extemplo regeſſit: *Quaenam vero lites hic compoſitae ſunt*? vid. Menagiana Tom. I p. 194. Edit. Paris. 1695. I. GALL.

Bohuſl. Haſſenſteinius in Tr. de Miſ. hum. p. 31. ita de Grammaticis: *Ediſcunt Grammatici hiſtorias gentium, et fabulas, occultos Poetarum ſenſus ſcrutantur, inveſtigant urbium, montium, fluminumque loca; quaerunt, quod nomen Achilli inter mulieres fuerit? quot cados vini Aceſtes Aeneae donarit? et ſi quiſquam hujusmodi aliquid, quod ceteros latebat, deprehenderit, ſe quiddam confeciſſe putant*. Quo pertinet et Juvenalis Satyra VII.

..... *Sed vos ſaevas imponite leges,*

*Ut*

nostris temporibus referri debeant illae, quae Bentlejum et Boylium, Fabrettum et Gronovium, Clericum et Burmannum, et nuper Kusterum et Perizonium, de unica voce (1) *cerno* disputantes (2), exercuerunt, quos sum-

*Ut praeceptori verborum-regula constet,*
*Ut legat historias, auctores noverit omnes,*
*Tanquam ungues digitosque suos, ut forte rogatus,*
*Dum petit aut Thermas aut Phaebi balnea, dicat*
*Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae*
*Anchemori, dicat, quot Acestes vixerit annos,*
*Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.*

VAND.

(1) *De unica voce*) Quum Bononiae disceptaretur acerrime de voce *assis*, victorque extitisset Irnerius, studium juris civilis Bononiae florere coepit seculo XII. Non semper itaque hujusmodi quaestiones ad Charlataneriam spectant. CHRYSOL.

(2) *Voce* cerno *disputantes*) Videtur quoque Massonius *Historiam* suam *Reipublicae literariae criticam* (opus cetera egregium) hujusmodi de lana caprina controversiis nugisque eruditis consecrasse. Testes ejus rei sunt diversae cum Daceria ejusque Marito, Clerico item, et de Epistolis Baelianis, nummisque aliquot, ac minutiis aliis, disceptationes. Neque suspicio abest, nos posthac plura de bellis grammaticalibus nova inibi esse lecturos. Pugnant hi homines pro fama, cumque ambitio erudita sit omnium maxima, praestat omnino vitilitigare, quam tacendo cum reliquis ingloriis animalculis, post fata ignorari. I. HALL.

Ne-

summos in re literaria viros, nostrique aevi heroes, par erat in re magis ardua laborem posuisse. Sed ut ad Pseudo-Grammaticos revertar, nemo illos expressit luculentius Antonio Bynaeo, cujus verba vix temperare mihi possum quin hoc loco repetam. Ita vero ille. Omnis cogitatio et industria horum hominum in levibus et minimi momenti rebus tota versatur. Hi vietas et rancidas tantum observatiunculas proferunt, quasi iis ignoratis Respublica literaria periret; ac in eo disputant: *Virgilius scribendum sit, an Vergilius?* et *Noctium Atticarum autor vocandus Agellius, an Aulus Gellius?* Tales quaestiones hi vani homines et sui ostentatores maximi avide captant

In Somnio p. 12 13. Conf. Lilienthal. l. c. p. 100.

et

---

Neque facile quis inficias ibit, huc quoque Jesuitas Gallos referendos esse, quibus memorias Trevoltienses debemus, quibusque rigidissimis Italorum censoribus, celeberr. Fontaninius eo nomine vapulavit, quod duo Capita immediate sequentia eadem vocula *Sed* orsus fuerit. Vid. *Giorn. de Letterati T. XXI Art. II* ubi plura. Q. MARC.

et arripiunt, ex tali mustaceo laureolam quaerunt, totamque in nugis istiusmodi terunt aetatem. Hos capita et diatribas conscribere videas, si non integra volumina, de antiquis illis naeniis: *Homerus, an Hesiodus sit natu major?* et reliqua. Si MStum aliquod nacti fuerint (1) qualia summo studio undique conquirunt, et e Bibliothecis eruunt, ac in eo vocem aliquam, paulo aliter quam in editis scriptam, repererint, vel literam mutatam, statim corrigunt, et ευϱοχον quam maxime clamant, majoremque gloriam in tam bella inventione collocant, quam si Babylona vel Trojam

(1) *Si MStum nacti fuerint*) In vita Antonii Walaei scribitur p. 614. edit. Batesianae; *Maximi aestimabat Bibliothecam MSctorum autorum, ad quam illi liber aditus per Virum Clarissimum Janum Gruterum, Conterraneum suum, patuit: verum ad collationem Manuscriptorum cum impressis plane animus non inclinavit. Nimia varietate lectionum alienus saepe sensus autoribus affingitur: et nisi in locis tantum sit maximi momenti, inglorius prorsus est labor, nec pluris est aestimandus, quam eorum, qui Indices conficiunt.* Scrib.

jam ipsam expugnassent (1) ac de literula vel syllaba (2) triumphant, quas jugularunt. Tum quicquid non implet, ut ipsi solent dicere, aures ipsorum (3), vel non Latinum satis



vi-

(1) *Trojam oppugnassent* ) Ita Heinsius Orat. in funere Josephi Scaligeri *Orat. p.* 40., 41. : *Si quis locum unum Nonii aut Festi emendasset, literulam aut syllabam restituisset alibi aut ejecisset, et hunc ludum sine solida cognitione rerum strenue, sed sic ut nihil ageret, lusisset, Trojam expugnasse videbatur; et hos tamen, si Diis Placet, Criticos vocabant.* Scrib.

(2) *De literula vel syllaba* ) Haec merito applicari possunt ad autores quorumdam opusculorum, quae Lipogrammatica vocantur. Veterum nonnemo hujusmodi aliquid scripsit, in cujus libro primo nullum A, in secundo nullum B et ita porro inveniretur. Recentiorum aliquis in opere satis grandi a certa voce quadam abstinuisse contentus fuit, qua vero quam difficillime carere posse videmur. I. Gall.

(3) *Non implet aures eorum* ) Pertinent huc, quae vulgus de numero oratorio nugatur, re vera inter ideas otiosae mentis chimericas referenda: certo enim persuasus sum, quod ii ipsi, qui ubique positionem numericam crepant, quod illi, inquam, ipsi, quid hoc rei sit, nesciant. Neque enim de illa judicium ferri potest, cum res omnis auribus sit permittenda, auditus autem non minus ac gustus variet. Illud, *esse videatur*, vel quae alia est Ciceronis polysyllabica periodi clausula, non omnibus aeque placet: imo forte nec deliberato consilio eandem adhibuit Romanus Orator. I. Hall. S.

videtur; (1) statim, de mendo suspectum habent, ac ex conjectura illud corrigunt, vel, si verum audi-

---

S. Evremontius in Judicio suo de Versionibus V. C. d'Ablancourt, quanam in re Harmonia haec consistat, nos edocet. *Il faut*, inquit, *admirer la force agreable de son Expression, où il n'y a ni rudesse ni obscuritè. Vous n'y trouverez pas un terme à desirer pour la nettetè du sens, rien à rejetter, rien de superflu, rien qui nous dègoûte. Chaque mot y est mensurè, pour la justesse des Periodes, sans que le stile en paroisse moins naturel? et cependant une Sillabe de plus ou de moins ruineroit, je ne sai quelle Harmonie, qui plait autant à l'Oreille que celle des Vers.* Harmonia igitur ista reale quidquam et positivum est. I. Gall.

( ) *Non Latinum satis videtur* ) Huc pertinent, qui superstitiose colunt Latinam linguam. Ad quam classem refert Charisius in Epistola supra cit. illos qui de castitate vocis unius acerbe disputant: hoc illustrat exemplo Cellarii, qui de se ipso p. 307. Curarum poster. fateatur: *Hieronymi exemplum, quod Coelius vel Stephanus in Foro R. allegat, invenire non potui, quanquam integros tomos ejus caussa perlegi*; illos porro, qui de originibus Latinarum dictionum adeo sunt solliciti, quasi ab illis salus reipublicae dependeat, quod illustrat exemplis Scaligeri, Vossii, Martinii, Daumii; illos, qui Ciceronem solum imitandum commendant, quod probat exemplis Petri Bembi, Christophori Longolii, Marii Nizolii, Pauli Manutii, Lazari Bonamici, qui dicunt; *Se magis velle loqui, ut Cicero, quam esse Pontificem Romanorum*; illos, qui in orthographia sollicite versentur, huc omnes referas. Vand.

De

dire velint, corrumpunt, et loca sana lacerant, distrahunt ac pervertunt. Veri librorum carnifices et pestes, qui auctores urunt, secant, mutilant, ac pro suo lubitu eorum membra transponunt, et monstra quaedam ex iis conficiunt. Adeo ut jam vere dici possit, quod de Homeri exemplaribus olim dictum est: auctores multo meliores et emendatiores esse, qui minime sunt emendati. Hactenus Bynaeus. Ceterum horum morem callidissime aemulatus est, quisquis sub Chrysostomi Mathanasii per-



De D. Reunemann dicitur, quod non *ejus*, sed *ei jus*, non *major*, sed *mai jor* scripserit. Vid. Anonymi *Beschr. der Stadt Erfurt* lib. I cap. 6. Alexander Burgius obvius in via amicos sententia aliqua aut verbis ex Ciceronis epistolis desumtis salvere jussit, unde apud eos, qui eum non nossent, paedagogi speciem non poterat effugere. Vid. Erythraeum *Pinac. p.* 119. Andreas Bajanus Grammaticam non in luce hominum, nec in illustri quodam loco, sed in tenebris atque urbis angulis plebem docuit, teste Erythr. *Pinac. p.* 258. Idem de illo narrat, quod barbaro et superbo fastidio repudiaverit patriam, atque ex Indo Lusitanum, ex Goano Conimbricensem se dici voluerit. CHAR.

sona nuper admodum acerbam in Criticos Satyram Gallico sermone conscripsit *. Sed

Barlaeus Poem.

*Cedite, Grammatici, magno quibus ilia fastu*
*Inconsulta tument, delapsaque litera sede*
*Sufficit ad bellum, vel iniquum comma minaces*
*Exacuit calamos et tanti scena paratur*
*Nominis.*

Proxime hos consequuntur illi, qui persuadere nobis cupiunt, quasi linguas devoraverint (1) omnium gen-

* Titulus est; *La Chef d' oeuvre d' un Inconnu avec des remarques etc.* A la Haye, 1724. 12. Autor vero *Themisseul* M.

(1) *Quasi linguas devoraverint*) Quo pauciores sunt, qui linguarum studium sectantur, eo et arrogantiores plerumque deprehenduntur, et cum unam forte alteramve leviter degustaverint; omnes se perspectas habere hoc impunius gloriantur, quo rarius suam inscitiam prodi vident. Nam ut de cultu linguae Sinensis tantum dicam, memini A. P. catalogum Codicum Sinensium, qui in Lipsiensi Bibliotheca Senatoria exstant, consignandi munus quondam in se suscepisse, in quo codicem quendam retulit inter Medicos, quem post aliquot annos Jobus Lu-

gentium, eoque ad se potissimum pertinere volunt illud Apostoli: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor* (1). Ita inter

 ad-

Ludolfus, linguae illius, si quisquam alius, scientissimus, vix inspectum Historicum esse demonstrabat. Hic eorum etiam mentio fieri posset, qui Albis Studiosorum, vulgo *Stambücher*, Arabicas, Armenicas aut Runicas symbolas inferunt, ut supra vulgus sapere videantur, quum re vera praeter eam sententiam nihil omnino aut parum sapiant. Quem morem risisse videtur idem, quem modo innui, A. P. qui in ultima Albi plagula Arabico charactere adscribebat verba illa ex Joh. X, 8. *omnes, quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones*. VAND.

De Andrea Mullero constat, quod officio suo se abdicaverit, ut linguis vacaret; nec desunt tamen, qui *Clavem* ejus *Sinicam*, quam identidem minabatur, ad Bibliothecam promissam et *latentem* jure meritoque referant. Et quis Mathanasio fidem habeat, qui de Massonii, cui librum suum *Chef d'oeuvre d'un inconnu* inscripsit, scientia Sinica magnificentius loquitur. SER.

(1) *Omnium vestrum linguis loquor*) Jactabundum aliquem, qui ut πολυγλωττιας laudem consequeretur, Ebraice, Graece et Latine Albo cujusdam inscripserat, salse perstrinxit Frid. Taubmannus, ista e Johannis Evangelio adscribens: haec scripta sunt Ebraice, Graece et Latine. Vid. *Taubmanniana p.* 211. An laudabile sit diversarum gentium idiomata discendi studium, disquirit Arnoldus Geulinck *Saturnal. Quaestion. XI p. m.* 225. Antonium Walaeum, in Vita ejus p. 006. edition. Bates. traditur, exi-

sti-

Naudé hist. p. 94 admiranda Fratrum Roseae Crucis id quoque celebratum est, quod in universo terrarum orbe dispersi, ubique tamen linguam habuerint propemodum vernaculam et usque adeo familiarem, ut in ea nati viderentur atque educati. Guilielmus Postellus linguas quindecim, Andreas Thevet viginti octo ita callebat, ut expeditissime loquerentur (1); at Josephum Sca-

---

stimasse, eos, qui nimium studii, nimium operae linguis impendunt, raro solere severiores disciplinas capere solide, et in eas profunde penetrare: ubi addit Autor vitae haec: *Linguae superbae sunt, solae coli volunt, nec aliarum scientiarum servitio discentis animum patiuntur occupari; tantum in memoria consistunt, nec ullam cum rebus similitudinem habent, qui cum in sui notitiam deducant, aut initiata cognitio possit promoveri*. Scrib.

(1) *Expeditissime loqueretur*) Petr. Kirstenium, Medicum Hamburgensem, XXVI linguas ex asse calluisse, testatur Inscriptio sepulchralis, apud Baelium *T. II. Diction. p.* 1714. Schurmanniam perhibent XIV exoticorum idiomatum peritissimum fuisse. Vid. Junckerus in *Vita Ludolfi*. Sic quoque J. H. Heideggerus, A. Pfeifferus, A. Acoluthus, magno consensu, ut Viri orientalium occidentaliumque linguarum peritissimi ab omnibus celebrantur. Verum enim vero, si, quod mihi videtur, libere fatendum est, nihil Oratorem nostrum a veritate alie-

Scaligerum (1), qui ne quidem unicam
L 4 cam

alienum dixisse arbitror. Postellus nimirum et Thevet (quibuscum tamen, absit, ne laudatos modo celeberrimos viros in unam classem posuisse velim) hi duo, inquam, ejusmodi Terrae filii erant, qui verbis saepenumero sidera pulsaturi, re ipsa ut plurimum parum praestare valebant. K. HALL.

(1) *Jos. Scaligerum*) Dignus μα Δια! Scaliger, qui ob hoc pariter et alia dicta Charlatani κατ᾽ ἐξοχὴν Reipublicae Babinensis Syndicus constituatur. Nihil enim profecto hujus Viri jactantia dici potest stolidius, neque arrogantius, neque mendaciloquius, neque argutum minus. THEM.

*Du Bartas*, Josephi Scaligeri Coaetaneus, tantum dicit, eum tredecim linguarum peritum fuisse. Observandum quoque hoc in elogio ejus stiloque poetico, quo laudes defunctorum extollere suevimus, dici. En versus ejus ex *secunda Septimana*, *Babylon* dicta, quos Teisserius quoque in novis supplementis Elogiorum Thuani adduxit. *vid. Art. Jules et Joseph Scaliger* p. 103. Ed Ber.

. . . *Scaliger, merveille de notre age,*
*Le Soleil des Scavans, qui parle savemment,*
*Hebrieu, Gregois, Romain, Espagnol, Alemand,*
*François, Italien, Nubien, Arabique,*
*Syriaque, Persan, Anglois, et Chaldaique,*

I. GAIA.

Insignem quoque inter Circulatores eruditos locum merentur illi Grammatici, qui multo conatu eo tendunt ut reliqui eodem, quo ipsi, styli genere utantur; secusque facientes odio plus quam Vatiniano prosequi solent. Miramur certe eadem insania laborasse Josephum Scaligerum, de quo Baelius in *Dict.* testis est, eum in ipso mortis articulo constitutum moribunda jam, sed severa voce professum esse

cam, se ignorare gloriabatur (t),
quam

esse: *id denique se edicere, quod nunquam sibi probatus fuerit Lipsii stylus plus justo concisus*. Miror hoc ultimum ejus plusquam Archi-hypodidascalicum judicium non in tabulas testamenti relatum fuisse; quo scilicet puri sermonis cultores sollicite sibi ab hac Lipsiana brevitate cavere possent. I. HALL.
Non prorsus hunc in locum quadrare videtur adnotatio haec: Praeterea locus ille Baelianus accuratius indicandus fuisset, quandoquidem frustra a me quaesitus est. Inveni tandem alium locum non prorsus illi absimilem, in Art. *Juste Lipse Remarq.* K. *Un savant Humaniste* (verba sunt Baelii, Humanistam vero Paraeum fuisse constat ex vita ejus) *raporte que Scaliger prêt à rendre l'Ame; temoigna qu'il abhorroit cette affectation de Stile*, (scil. Justi Lipsii). *Il faloit que la chose lui tint au coeur, puisque meme dans cet etat là ou des objets infiniment plus important devoient attirer son attention, il voulut aprendre à la Campagnie ce qu'il en pensoit*. Baelius jam dixerat in verbis annotationis hujus praecedentibus, non posse Manutio et Mureto praeferri Lipsium, nisi ab iis, qui deteriora sibi ad imitandum proposuerint. *Un Stil*, inquit, *qui va par sauts et par bonds herisse d'epines et d'ellipses à un stile bien lié coulant, et qui developpe toute la pensée*. I. GALL.

(t) *Ignorare gloriabatur*) An plures igitur Scaliger linguas calluit, quam ultimi illi Aegypti Principes, vel Josephus etiam, Moyses, et Rex denique Salomon: de quibus singulis Judaeorum Doctores fabulantur, LXX eosdem linguis locutos fuisse. Leg Gaulmin *de vita et morte Moysis pag.* 312 *et* Carpzov. *de Sapientia Salomonis*. Quis interim neget, dignis-

quam divitem linguarum fuiſse exiſtimatis, Auditores, si in noſtrum orbem quadrarent, quae de ſeptimi coeli habitatoribus Mahumedes impudentiſſime effutivit, *quorum* nimirum *quiſque habebat ſeptingenta millia capitum, et in quolibet capite ſeptingenta millia ora, et in quolibet ore mille ſeptingentas linguas, laudantes Deum ſeptingentis millibus idiomatibus*. Nec deſunt recentiſſima jactatorum horum exempla, de quibus haud immerito dixeris, quod Seleſtadius olim Poeta de Hiſpanis:

*Si quantum linguae, tantundem cordis haberent,*
*Non foret aetherea tutus in arce Deus.*

Jam ut ad Oratores tranſeam, non morabor illos, qui, ut infamem Sophorum appellationem vitarent, Sophi-

gniſſimum fuiſſe Scaligerum, qui Synedrii Hieroſolymitani magni Praeſes eligeretur? quem nimirum LXXII idiomatibus omnibus Terrarum Nationibus, in totidem Dialectos diviſis, reſponſa dediſſe, autor eſt Maymonides. I. Hall.

phistae (1) vocari maluerunt. Isti res in aprico positas ac cunctis Scriptorum calculis probatas, conquisitis undique ratiunculis (2), in dubium vocare audent (3), Iliumque nunquam captum; aut magnum illum Ale-

(1) *Sophistae* ) De Sophistis egregia habet Cresollius in Theatro Rhetorum apud Gronov. *Thes. Antiqu. Gr. Tomo X* et Kriegkius *de Sophistarum eloquentia* Jen. 1700, 4. Ceterum eorum, qui res viles laudarunt, multa exempla collegit Caspar Dornavius in Amphitheatro Sapientia Socratico-jocoseriae T. I et II. CHAR.

(2) *Conquisitis undique ratiunculis* ) Scitissime de his Vossius C. *I de nat. Rhet. p. 6: Alii id nomen, tanquam gloriosum sibi studiose arripiebant, quales Protagoras, Gorgias, Hippias, alii, viri in dicendo praestantes, et doctrinae suae caupones. Quam acceptionem ejus nobis aperit M. Tullius II Accad. Quaest. Quis, inquit, fuit hic? num Sophistes? Sic enim appellantur ii; qui ostentationis, aut quaestus causa philosophantur. Ac similiter Seneca epist. XXIX: illos misi circutores sophistas, qui philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt. Ubi circulatores, h. e. περιοδευτὰς appellat, quia ostentationes, aut quaestus causa, Graeciam atque Asiam peragrarent.* THEM.

(3) *In dubium vocare audent* ) Hos inter suo merito referendus Autor anonymus, qui A. 1672 librum edidit sub titulo: *La Fatalité de S. Clou*, quo probare voluit, Henricum III nequaquam a Jacobo Clemente fuisse occisum. Vid. *Journal Liter.* 1715 *T. VII p.* 169. VAND.

Alexandrum meticulosum, Helenam imbellem ac deformem (1) in theatrum trahunt: pocula et libidines et quicquid est flagitiorum, multo verborum apparatu commendant; ipsamque stultitiam, febrim quartanam, podagram, calvitiem, asinum, muscam, pu-

---

(1) *Deformem*) Graves viros utique his in minutiis occupari non decet, juvenes autem quod attinet, non adeo culpari possunt, si in similibus tirocinia scriptionis suae ponant. Hac enim ratione stili exercitium, meditationis quoque facilitas quaedam et habitus acquiritur; ut taceam, multa saepius majoris momenti capita quasi aliud agentibus sese offerre. Respublica literaria aeque ac Respublica Politica, heroes suos habet, viros magnos: Princeps juvenili ardore flagrans pericula contemnit, vitamque ipsam aleae belli committit. Sapiens autem Imperator non nisi magnis in casibus virtutem demonstrat, animumque formidinis expertem. Ita Heros juvenis literarius, instar illius bellici est, ferocias et nihil non magni tentat: at viri subacti ingenii et graves animo sublimiori, profundaeque prudentiae viribus excellunt: qua de re Poeta Gallus Du Bartas *Cantique de la Victoire*;

*Il faut qu'un grand Monarque, en sa verte jeunesse,*
*Fasse une, deux, trois fois preuve de sa Prouesse.*
*Mais il doit puis après combattre accortement,*
*Non tant du Gloire aigu, que de l'Entendement,*
*Et paissant son esprit d'une agreable peine,*
*Faire, non du Soldat, ainsois du Capitaine.*

I. GALL.

pulicem, laudibus ad coelum extollunt. Nam et isti quid aliud agunt, quam ut falsis ac fictitiis rerum imaginibus ludentes gloriolam captent apud illos, qui nihil nisi quod aures blande titillet, admirantur ac genuina artis Rhetoricae praecepta nunquam degustarunt. Itaque dum phaleras sectantur et figurarum omne genus, et amplificationes afferunt portentosas, ipsum orationis nervum amittunt (1). Id quod de iis quoque non incongrue dixerim, qui e rhetoricis scholis Christiani Weisii prodeuntes (2), nihil se eximium conari

ri

(1) *Amittunt* ) *Les Pedans*, inquit de la Bruyere, des Oüvrages d'esprit p. 116, *ne distinguent pas l' Eloquence de la rondeur des periodes*. Verum Longino ita sentiente, *toutes ces mesures des Periodes n' ont qu' une certaine mignardise et un petit agrement, qui n' emeut point l' Ame*. Traitè du Subl. Chap. XXXIII.

(2) *E scholis C. Weisii prodeuntes* ) Bene est, quod non de ipso Weisio, sed de quibusdam ejus discipulis hic agat Autor: Nam cum ipse non ignoraret, quae ad veram et masculam illam eloquentiam requiruntur, pueris interim, rerum ignaris, viam facilem

ri poſse credunt, nisi vel symbolis atque emblematibus (1), e Picinello, Saavedra vel Petrasancto sollicite corrogatis, cunctos parietes impleverint, vel ingenioso quodam numismate donaverint auditores suos, veluti oculos fascinaturi aut manus deauraturi eorum, quorum mentibus imponere laborant. Praecipue vero hic de saltatione rhetorica et rhetoriſmo histrionico dicendum nobis videtur; quandoquidem hodie plerosque deprehendimus mira vocis contentione, vultu multiformi, oculo vago et petulanti, jactatis brachiis, saltantibus pedibus, lascivientibus lumbis, ac variis motibus, inversionibus, circum- Agr. de Van. Sci. Cap. 21.

cilem commonstrare voluit, qua verba facere discerent; qua in re cum aliqui artem universam consistere existimarent, nihil se parere in oratione eximium poſse putarunt, nisi nummorum incriptiones, emblemata, symbola venentur. VAND.

(1) *Emblematibus*) Emblematum nimium usum bene improbat Morhof. *Polyhist*. P. I. L. VI c. 4 p. 292: *Minime omnium placent, qui emblemata velut in scenam magno apparatu producunt etc.* SCRIB.

cumductionibus, resupinationibus, gesticulante toto corpore, animi videlicet mobilitate ipsum secum voluente, ad populum proclamare, memores fortassis Demosthenis sententiae, qui ( ut est apud Valerium ) interrogatus, quidnam esset in dicendo efficacissimum? respondit: hypocrisis; iterum deinde et tertio interrogatus, idem dixit, ac paene totam dicendi vim huic deberi affirmavit (1). Equidem

(1) *Affirmavit* ) Palmarius Oratoris scopus est animorum emotio, affectuumque concitatio. Ad eum vero consequendum non sufficit eruditum esse, non sufficit multo scientiarum apparatu auditores cumulare, non sufficit ingeniosissimas politissimasque res in medium proferre: vana haec sunt omnia et inutilia, nisi hypocrisis haec Demosthenis, vel Actio Ciceronis, vel Charlataneria haec Menckenii nostri accesserit. In hoc enim omne Oratoris artificium conspicitur. Eruditio non nisi mediocriter eloquentem, Charlataneria vero Oratorem celeberrimum efficere potest, L. V. H. malum quoddam sibi contraxit, muneris sui difficillimi negotiis nimium invigilando. Inde fit, ut prolixiores periodos uno spiritu recitare non possit. Immo vox ipsa tenuior, et actio minus jam libera minusque fervens facta est. De cetero oratio ejus intellectu facilis, stilus dignus, meditatio accurata, dispositio tandem naturae rei accommodata esse solet. His non obstantibus Ora-

dem haud ignoramus, Socratem, Platonem, Ciceronem, Quintilianum ac Stoicorum plurimos artem illam admodum utilem Oratori, imo et necessariam existimasse, quatenus nimirum apto quodam corporis gestu, vultus et corporis composita adformatione constat, tum vigore oculorum, pondere vultus, accomodatoque singulis verbis et sententiis sono vocis et efficaci corporis motu ad ea, quae exprimuntur. Quod cum intelli-

Orator hic, voci in Deserto clamanti comparari potest. L. B. S. e contrario in dispositione vastus et confusus, in ratiocinatione vagus, in imaginibus immoderatus, in descriptionibus ad nauseam accuratus est, imitatur denique nulla regula servata. Est autem voce clara et sonora: gestu facili, licet aliquanto liberiori; fervor nunquam eum destituit, animusque eius nunquam non intrepidus est. Hinc non nisi multo conatu per auditorum catervas ad suggestum pertingit; fama eius undique spargitur, immo quod principe loco memorandum, dona stipendiaque undiquaque ad eum convolant.

*Il est le mieux venté de tous nos beaux esprits.* Non dubito eos, qui Romam, Lutetiam, Londinum vel Hagam Comitum viderunt, satis multos deprehendisse, de quibus mutato nomine haec narrari possit fabula. I. GALL.

ligeret Petrus Francius, artificium jam pridem deperditum quasi postliminio revocare coepit, et novam quodammodo *eloquentiam* commentus est, quam *externam* vocavit. Itaque adolescentes continuo duxit ad speculum (1) ut quomodo et ora et oculos ipsasque manus ad singulas voces componerent, hoc veluti magistro discerent; tum vero novos Roscios (2) prodire in theatrum ac declamare jussit orationem quandam Romanae eloquentiae patris Ciceronis, ingenti utique Auditorum plausu, qui ad rem novam, ut solet fieri, non

*v. Specimina Eloqu. externae* et *Orpro Eloq. in Posthum.*

(1) *Duxit ad speculum* ) Idem de celeberrimi nominis Oratore sacro, D. J. F. M. retulerunt amici, qui, quoties coram concione aliqua honoratiore verba facienda essent, toties speculum ( quod in hunc usum amplissimum, et ex purissimo crystallo Veneto affabre compositum in Museo custodire solebat ) gestuum suorum et παρρησίας necessariae judicem consulebat. Them.

(2) *Roscius* ) Roscius celebris erat Actor in Scena, cujus Cicero aliquando causam egit. Ita excellebat in arte sua, ut omnes, qui in aliqua re egregii essent, Roscii vocarentur. I. Gall.

non leviter commovebantur. Verum tantum abest, ut eloquentiam, ut potius affectationis turpissimum vitium cum Thrasonismo (1) isto discipulis suis instillaverit Francius, Vir alioquin laude sua nequaquam fraudandus (2).

Pergimus ad Historicos, qui, cum res gestas summorum Principum aut familiarum origines descripsere, non minus in Charlataneriae, quam vocamus, vitium inciderunt. Quidam, ut ad Livii gloriam quam proxime

M ac-

(1) *Turpissimum vitium cum Thrasonismo* ) In *Parrhasianis p.* 129 dicitur, hodie gestibus operam dari, ut attentiores fiant auditores: olim Apostolos excitasse attentionem miraculis et sanctitate vitae. Ibidem p. 124 quidam in eo studio nimius dicitur *un grand chasseur des moulins*. SCRIB.

(2) *Nequaquam fraudandus* ) Addi forte hic possent, quae de Andreae Bajani oratoria narrat Erythraeus Pinacoth. p. 258. Is nimirum pueris oratiunculas scripsit, quas in Aede D. Eustachii die eidem sacro, ut mos est illorum adolescentium, haberent; quae ineptam ac ridiculam paedagogi seduitatem et industriam declarant, cujusmodi fuit illa, in qua ita verba coagmentantur componunturque, ut ipsa per sese se teneant ac sustentent, nec aliquo verborum adminiculo innitantur: CLAR.

accedant, historiolas suas longis atque taediosis orationibus inferciunt, adeo ut barbaris etiam hominibus tribuant ingeniosissimos sermones, id quod in Paulo Æmylio, Gallico Scriptore, plures adnotarunt. Alii, quasi de lectoribus desperent, nisi oculos jucundo spectaculo oblectent, singulas paginas scitissimis figuris (1) exornant, et quod ridiculum, pugnas quoque ipsas et velitationes, nullo saepe ordine gestas (2), sollicite de-

(1) *Singulas paginas scitissimis figuris*) Freheri Theatrum ob putidas imagines notat Thomasius in *Colloquiis menstruis P. II. p.* 261 *s.* Clarmundum, vitarum scriptorem et mirificum imaginum concinnatorem, personatus Caspar Bonifacius in Epistola de Clarmundo, quae Bibliothecae Halensi inserta est, *P. VII p.* 567. Scrib.

(2) *Ordine gestas*) Quare non immerito Micahelem le Vassor dehortatus est celeberrimus Belli Dux Schombergius, ne praelia et pugnantium actiones fusius deduceret, quippe quod ipse, quoties cum hostibus conflixerit, paucissima accurate satis observare potuerit. Multo interim felicior est vulgus Scriptorum, qui omnia haec artificiosissime exsequitur. Ictus illi praeliantium graphice depingunt, et globorum abeuntium, redeuntium vias ad amussim delineant. I. Hall.

depigunt; qui non magis mihi sapere videntur ac primi illi librorum figuris vidistinctorum editores, qui quoties vel urbis alicujus, vel praelii, vel viri (1) aut foeminae illustrioris meminere, eandem nobis tabulam identidem exhibent, id quod in Stumpfii et Dresseri Chronicis, nec non in Pantaleonis Prosopographia aliisque superioris aevi libris plurimis deprehendimus. Sed et minus meo judicio ferendus Johannes Palatius, qui, ut genio seculi, quo res nummaria florebat, placeret (2), exsangue et

 elum-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(1) *Vel praelii, vel viri*) Similes etiam picturas Ill: Pufendorfii Historiae Caroli Gustavi nulla quidem Autoris culpa insertas adnotamus, quas, ut compendium fieri posset sumtuum, praestaret (ut in ceteris tanti Viri libris factum) penitus omissas. Et observarunt aliqui, in ipso Theatro Europaeo nonnullas praeliorum repraesentationes in diversis Tomis repetitas easdemque picturas praeliis diversis fuisse dicatas. VAND.

Hoc Charlataneriae genus ad Bibliopolas referendum est, qui praeterea multis aliis artibus ad lucrum faciendum uti solent. I. GALL.

(2) *Placeret*) Mediocres animae a genio seculi vel minimum recedere verentur. At excelsae mentes, in

elumbe historiae suae corpus opplevit numismatibus, sed adulterinis, ex otioso ipsius cerebello profectis. Alii quo tutius adblandiantur suis Maecenatibus (1), et Lectoribus obtrudant fabulas Milesias, nescio quae archiva, quos codices jactant, et eruta ex obscuris latebris manuscripta;

---

in omnium seculorum mores inquirunt, eos accurate inter se componunt, eliguntque, quod rectae rationi convenientissimum esse credunt. Ita demum producitur, quod dignum sit posteritate. Ceterum licet ille monetarum gustus nimius esse et vitiosus fieri potest; negari tamen non potest, insignem ejus in explicandis, et detegendis etiam magni momenti factis, usum esse. I. Gall.

(1) *Adblandiantur suis Maecenatibus* ) Hi saepenumero, ut cum Naudaeo meo loquar, peccant, *non quia judicio carent*, sed *quia moribus ita receptum est*, imo quia, Plutarcho teste, *το κερδος ηδυ και απο ψευδων η*. *Lucri scilicet bonus odor ex re qualibet est, cur non et a mendaciis profecti?* Hanc ditescendi et proficiendi artem non ignoravit Jovius, de quo Lipsius L. I Polit. in Not. ita: *Judicio ac fide ambiguus, ubi affectus non distrahunt, rectus, ubi illi adsunt, obnoxius. Ad gratiam scilicet se dat et aurem. Laudationum nec causam saepe habet, nec modum* etc. Quid; quod ipse de se jactare solitus fuit, binos sibi calamos esse, aureum alterum, alterum chalybeum, ad inaequaliter tractandos Principes, inaqualibus se beneficiis affecturos etc. conf. Teisserius in

pta; quos inter artifices nequissimos principem locum merentur, e nostris Georgius Ruxnerus, qui, ut familias quorundam nobilium extolleret, ad Magdeburgici codicis, quem nemo vidit, fidem provocabat, et ex Gallis Antonius Varillasius, qui, quoties genio indulget, spissa manuscriptorum nube se tuetur. (1) Taceo falsarios et sycophantas alios, qui

Bibl. des Hist. p. 175.



---

in ejus elogio. Verum, vix quidem opus est exempla horum hominum a majoribus repetere, cum hodieque omnis terra plena sit pennis manibusque venalibus, et nostri temporis Annales magnam partem *mendacii atque adulationis Gymnasia esse consueverint; ubi*

*Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti,*
*Verba dare, ut caute possint pugnare, dolose*
*Blandiri, certare, bonum simulare virum se,*
*Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.*

Lucilius apud Lactantium L. V de Justitia C. IX. Conf. Naudaeus in Dial. Masc. p. 75. THEM.

(1) *Se tuetur*) *Varillasius* historici nomen non meretur. Nihil histrionicum magis magisque ridiculum fuit illa responsione, quam de documentis, quibus in historia sua niteretur, interrogatus, suppeditavit. *vid. Hist. des Ouvrag. des Savans Sept.* 1687 *p.* 111. Ubi egregium V. C. *Beauvalii* de eo judicium occurrit. Meo quidem judicio huic Varillasio *Maimburgius* simillimus esse videtur. Stilo nimirum,

integros libros nobis dedere, Annium Viterbiensem, qui Berosi Chaldaei Antiquitates, Inghiramum, hominem Florentinum, qui Antiquitates Etruscas, Ant. Dominicum Floccum, qui
Ib. p. 324. L. Fenestellae librum de Magistratu et Sacerdotio Romano, Hieronymum Romanum de la Higuera, qui Favii
p. 225. Lucii Dextri, Marci Maximi, Braulionis et Helecae, Ant. Lupianum Zapatam, qui Hauberti, et Gregorium de Argaez, qui Liberati Chronica excogitavit (1), neque ex his quisquam tam bardus fuit aut ineptus, quin ex vetustis codicibus accurate omnia descripta praedicaret; quin et aliqui, quod de Zapata impri-

eruditione, luxuria, fide denique ita alter alterum exprimit, ut nemo magis. Posset autem huc etiam Autor Historiae Lud. XIV, quae Amstel. prodiit, referri. I. Gall.

(1) *Chronica excogitarunt*) Conf. testis omni exceptione major, Nic. Antonius, qui in *Bibl. Hisp. T. II P. I c.* 8 imposturas hujus Higuerae, Joan. vero Tamaji de Salazar *T. I p.* 601, et Thomae Tamaji de Vargas fraudes *T. II p.* 252 prolixe exposuit. Add. Struvii Diss. *de doctis Impostoribus*. I. Hall.

primis fertur, quo facilius fidem invenirent, se furto abstulisse codices e Bibliothecis exteris, Lectores suos persuadere conati sunt, vel nova subinde chronica confinxerunt (1), quod de Argaezio constat, ut spuriis antea editis autoritatem conciliarent. Verum ut hi onerant Annalibus suis orbem literatum, quos aeterna nocte sepultos praestabat, ita sunt alii contra, qui splendidos historiarum libros publice nobis pollicentur (2), eoque nomen sibi comparant inter

 hi-

(1) *Confinxerunt* ) Hos omnes in universum aliosque similes imposturis et impudentia vicit Gallus quidam modernus, cui debemus *les Memoires du Comte de Rochefort*, *les Annales de la Cour de Paris*, *les Memoires d' Artagnan* cet. libellos, in quibus verum falso ita mixtum est, ut admodum idonei sint ad fidem lectoribus extorquendam. I. Gall.

(2) *Splendidos historiarum libros publice nobis pollicentur* ) Ita Sammarthanus *Elogior. L. II p. m.* 61 de Gulielmo Philandro testatur: *Commentationum in Vitruvium Procemio multa insuper alia reconditioris et insolentioris doctrinae opera temere pollicitus, tam pulchram lucubrationis gloriam inani tot promissorum exspectatione non mediocriter obscuravit. Quasi enim esset eo famae nascentis auspicio contentus, pristinam deinceps diligentiam abjecit etc.* Scrib.

In-

historicos primi ordinis, quos tamen, cum diem obierint, ne per somnium quidem ea de re apparet cogitasse. Quo nomine Jo. Franciscum Carrettonium non ineleganter arguit Erythraeus, qui cum idoneus esset habitus, cui Societatis suae annalium confectio demandaretur, non solum statim id, gloriae et ostentationis causa, divulgavit, verum et iterum iterumque gloriatus est, perfecturum se, ut omnes intelligerent, neminem eorum, qui viverent, majori, quam ipsum eloquentiae ceterarumque virtutum instructu apparatuque ornatum ad scribendam historiam accessisse: sed tam magnificum dictum, utpote plenum vanitatis ac spiritus, tenues abiit in auras, nec adhuc annalia, quae nemo unquam est inspecturus, ap-

Pinac. C. 63.

Interim tamen ad Quinctiliani declamationes Commentaria doctissima, aliaque opera quam plurima inedita, elaboravit. Admodum desidiosus erat homo hic, verum judicio valde solido praeditus. I. Gall.

apparent. Et nostis, Auditores, quae inter nostros Vir magni nominis de vita Leopoldi M. et inter Batavos de rebus gestis Wilhelmi III. Regis Magnae Britanniae, Historiographus ejus minatus fuerit, quorum in schedis, postquam e vita discessere, vix una atque altera lineola, quae huc faceret, reperta est (1). Quotusquisque est porro historicorum, qui non in ipso limine omnia ad unam veritatis regulam exactissimam redacta liberaliter polliceatur, quos ipsos tamen cum inter se componimus, rarissime videmus con-

(1) *Quae huc faceret, reperta est*) Ita tempore Henrici II Regis Galliae Carolus Pascal, e Vasconibus oriundus, multis persuaserat, se Vitas editurum clarorum Virorum sui temporis, quo id effecit, ut plurimi, qui in his Elogiis locum sibi dari optabant, versiculis eum et epistolis honorarent. Factum et inde, ut ad Historiographi Regii munus vocaretur; atque tum in Delphini nuptias orationem publicabat, velut ex Historiae suae Libro IV et V depromptam. Enimvero post illius mortem patuit, eum ne quidem de simili opere unquam cogitasse, v. *Lettres de Pasquier*. SER.

conspirare (1): Herodianus Alexandrum Mammaeae filium accusat, quem laudant Lampridius aliique; Juliani virtutes commendant Ammianus Marcellinus et Montanus, cuius vitia perstrigunt alii: Dio facta Bruti et Cassii damnat, probat contra Plutarchus: Paterculus Sejanum extollit, plerisque aliis exosum: Claudianus Ruffinum proscindit, Arcadii praeceptorem, quem Zosimus, Zonaras, Eutropius et Paulus Orosius summis laudibus afficiunt (2). Sed missis his, in quibus enarrandis dies nos

(1) *Rarissime videmus conspirare*) At hi fere sunt, quibus unice fidem habemus in iis, quae tradidere. Ergo Pyrrhonismo historico opus est, de quo subinde eleganter egit Baelius in *Dict.* Ser.

Ad rectius intelligendam hujus Pyrrhonismi necessitatem, relationes modo legendae sunt de iis rebus, quae ante oculos nostros gestae sunt. Historia supra citata de Lud. XIV hic inspicienda est, probeque notandum, autorem eius promittere, se fidum, accuratum et aeque a partium studio remotum futurum, ac ipse Suetonius fuisse dicatur. T. Gall.

(2) *Summis laudibus afficiunt*) Sunt etiam Historici, qui veritatem scribere plane non volunt, sed orbem eruditum decipere ultro conantur; qualis, prae-

nos citius, quam dicendi materia deficiet, eorum quoque attigenda est temeritas, qui in re genealogica ad pri-

praeter Varillasium Gallum, Polyd. Vergilius fuit; de quo ingeniose Owenus *L. IV Epigr.* 49;

*Virgilii duo sunt; alter Maro, tu, Polydore;*
*Alter, tu mendax; ille Poeta fuit.*

talis fuit Poggius Florentinus, de quo itidem non male Sannazarius ap. Vossium *de Arte Hist. C. X p.* 56:

*Dum Patriam laudat, temnit dum Poggius hostem;*
*Nec malus est civis, nec bonus Historicus.*

Alii e contrario non possunt, etiamsi velint, veritatem dicere; vel propter intellectus vitium et judicii defectum, vel quod oculi coeco quodam affectu obfuscati, eorum scelera non dignoscant, quos venerantur, vel illorum merita non agnoscant, quibus infensi sunt. Aliqui veritatem ex proprio commodo metiuntur, largis pollicitationibus inducti, ut Annales condant. Ejusmodi perversi mores non possunt non Lectorem cautum reddere et diffidentem. Quippe haud vereor, pluribus recentioribus pariter et antiquioribus Historicis applicare verba Terentii ex Andriae Prologo:

*Historicus cum primum animum ad scribendum appulit,*
*Id sibi negotii credidit solum dari,*
*Populo ut placerent, quas fecisset, fabulas.*

Pari jure in hunc censum referendi sunt multi Ephemeridum scriptores, qui sine ullo aut judicio aut delectu excerpta compilare et superfluis suis insulsisque alieni laboris sive censuris, sive Panegyricis mercedem menstruam promereri soliti sunt ect.

I. HALL.

Alii

primam stirpem descendere audent (1). Nam ut taceamus veterum Gentilium insaniam, qui Principes suos Deorum sanguine procreatos mentiebantur, aut eorum, qui gentium origines tradidere, et Hispanos a Tubale Japeti filio, Cambros a Gomero, altero ejusdem filio, Britannos a Bruto, Fran-

Alii id curant tantum, ut suos ipsi libellos, eosque qui ex officina Typographi sui prodeunt, extollant, ceteros omnes, praestantissimos licet, carpunt et sugillant, quo id consequuntur; ut Autores, velint nolint, sua scripta offerant gratis Censoribus illis, ut vel levi saltem censura afficiantur, vel indicta certe maneant. Ita sunt, qui J. Clericum accusant, quod nullo alio fine tot annis scripserit suas Ephemerides, quam ut scriptis suis digne recensendis ac vindicandis, aliorum vero, quibus male vellet, carpendis locum faceret. Vand.

(1) *Ad primam stirpem descendere audent*) Sic Johannes le Maire Gallorum Regum originem ad Trojanos refert, teste Sorello in *Bibliotheca p.* 294. In Oppido Heverlea, haud procul Lovanio, est templum et in hoc marmorea Principum Croiorum et affinium monumenta. Ibi Genealogiam Ducum de Areschot ab Adamo usque ad praesentes ultimos videbis in choro ad latera, uti testatur Golnitius in *Itinerario Belgico-Gallico p.* 174. Scrib.

*Mais qui m'assurera qu'en ce long cercle d'ans*
*A leurs fameux Epoux vos Ayeules ſideles*
*Aux douceurs des Galans ſurent toujours rebelles?*
Boileau Sat. V. I. Gall.

Francos a Francione, Priami aut Hectoris filio, Brandeburgicos a Brenno; ab aliis alios, arcessiverunt; illud profecto dignum risu ac multo cachinno, Franciscum Sandovallium, Hispanum, Caroli V Imp. Wilhelmum Slatyer, Anglum, Jacobi I. Angliae Regis, et Joannem Messenium Regum Sueciae familias inde ab Adamo, primo omnium parente, non interrupta per tot capita serie, deduxisse. Neque felicius, ut arbitror, operam suam collocarunt Jacobus Zabarella, qui Joannis Casimiri Poloniae Regis, et Godofredus Siegfried Megander, qui Christiani Saxoniae Ducis, cum Regibus ac Principibus Europae tantum non omnibus cognationes, descriptis pluribus tabulis, delinearunt (1).

Oeuvres de la Mothe le Vayer T. I ed. in fol. Nicholson Scotch Hist. Lib. p. 140.

Ac-

(1) *Delinearunt*) Non inepte forte illi quoque accenseri ceteris poterant, qui arcana aularum sollicitius rimantur et nova identidem ac inaudita crepant, velut ea effutientes, quae e sanctiori consilio accepissent. Quem in censum ex Italis Gregorium Letum et

Accedo ad Poetas, genus hominum lepidum et facetum (1), sed et inflatum et arrogans, de quibus, nisi alia dicenda superessent, latissimum utique haberem disserendi campum. Nimirum ex quo ita persuasum fuit nonnullis, quasi ex ipso Poetarum patre Homero (2), rerum omnium hu-

et e Gallis Michaelem le Vassor aliqui referunt, quorum hic tamen illo multo ingeniosior est. Sær.

(1) *Genus hominum lepidum et facetum* ) P. J. Beronicium, quem P. Rabus in Carminum ejus, quam adornavit, editione incomparabilis Poetae titulo insignivit, ad Poetas Charlatanos merito referas. Hunc enim, cum stupenda prorsus carminis extemplo fingendi vi polleret, versusque furore quodam quasi percitus funderet non ineptos, saepius Thrasonis instar de ingenii sui promtitudine mira narrasse, artisque suae documenta nimium ostentasse aliisque obtrusisse tradit Ant. Borremansius *Var. lect. cap.* 6, qui praeterea caminos verrendo, cultros acuendo, et similibus artium mechanicarum vilissimis, imprimis autem agyrtam agendo et populo vendendo fumos, vitam ipsum tolerasse scribit. Conf. *Act. Erud. Suppl. T. II pag.* 161. Trivult.

(2) *Patre Homero* ) Quantae annis superioribus de Homero lites inter ejus fautores, Daceriam, Gacon, aliosque, et Homeromastiges, de la Motte, Terrasson etc. ortae fuerint in Gallia, non attinet hic repetere: plena de iis sunt diaria. Carmina, quae ad hanc litem spectant, imprimis diligenter exhibet

humanarum atque divinarum fontes derivari possint, incredibilis profecto fastus invaſit cunctos, qui in re poe-

bet Autor Novorum Liter. ( *Nouvelles Literaires* ) quae Hagae Com. A. 1715 singulis septimanis prodire coeperunt. Ceterum ut taceam eos, qui Theologiam ipsam ex Homero petunt, et in eius descriptione cesti Veneris Iliad. Ξ v. 215, 216, 217 mysteria et aenigmata multa contineri putant, teste Eustathio in Schol. ad Hom. l. c. p. 979. ( qua de re videri poterit Autor noster in Diss. *περι τȣ ἀρέσκοντος*, seu *de eo quod placet* § 8 ); ecquis putet, contra morbos quoque remedia ex Homero peti posse, quod patet ex eius Scholiaste Latino, qui testatur, versum illius Iliad. B. v. 95

*Τετρίχει δ' ἀγορὴ ὑπὸ δ' ἐστεναχέζετο γαῖα*

podagrae mederi. VAND.

Quod vero Homero inter Graecos obtigit, ut plura saepe invenisse sibi in eo videantur Lectores, quam ipse Homerus perspecta habuit, idem fere etiam Virgilio inter Latinos accidit. Nam ut de sortibus Virgilianis nihil dicam, non desunt sane, qui Physices, Oratoriae etc. praecepta atque argumenta ex eo deprompserunt, qualis Casp. Knittelius e Soc. Jes. qui in Regia Via ad omnes artes et scientias, primum Aeneidos Virgilianae versum:

*Ille ego qui quondam gracili modulatus avena*,

septem verbis constantem, totidem argumenta de humilitate dicturo subministrare docuit. Conf. *Acta Erud. A.* 1682 *p.* 336 *et* Morhof. *Polyh. P. I Lib. II pag.* 353 *seq.* CHAR.

Non miror, omnium scientiarum principia in poetarum scriptis requiri: cum ad componendam Ilia-

poetica fuere vel leviter exercitati. Nam ut olim Accium Lucium Poetam, cujus vix nomen ad nos propagatum est, Julio Caesari, in Collegium Poetarum venienti, nunquam assurrexisse constat, quod tantum Im-

Iliada sive Aeneida utique omnibus fere artibus, doctrinis et scientiis tinctum esse deceat. Non sufficit esse Theologum, Mathematicum, Astrologum, Historicum, Architectum, Geographum, Politicum, Genealogum: etc. nisi etiam Pictor, Artifex, Operarius et Agricola simul fueris. Nec miror, quaesitas esse in carminibus quaestionum quarundam decisiones, futurique scientiam.

*Novit namque omnia Vates*
*Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura tradantur.*
Virg. *Georg.*

Quia nimirum Poesis lingua Deorum audit, Poeta divinis effatis prodendis os ministrat; nonne verisimillimum fuit in scriptis eorum omnia inveniri, quae frustra alibi quaeruntur? Istud vero admirationi mihi fuit, inventum esse Poetam quendam non parum arrogantem, suique maximum admiratorem, qui fassus fuerit, egregium Poetam non magis Reipublicae necessarium esse, quam lusorem peritum. Aliter sensit Boilavius, cum ita ad Lud. XIV Epist. I:

*Grand Roi, poursui toujours, assure leur repos*
*Sans elles un Heros n' est pas long tems Heros,*
*Non, a quelques hauts faits que t' appelle,*
*Sans le Secours soigneux d' une Muse fidelle,*
*Pour t' immortaliser tu fais de vains efforts.*

I. Gall.

Imperatorem in carmine multo se putaret inferiorem; ita inventi sunt sequioribus temporibus longe plurimi, qui neminem poematis gloria parem ferre potuere, nedum superiorem. Unus nobis instar omnium erit Belmontes Cagnolus, Abbas Italus, qui cum Aquilejam captam soloque aequatam carmine descripsisset, nomen suun in toto orbe celebratum arbitrabatur, eoque, si literatus aliquis ei continuo non assurrexisset, elatus iracundia hisce hominem verbis increpabat: Itane? Abbas Cagnolus, eversae Aquilejae, et tantorum carminum Autor, tuam potuit notitiam effugere? non fit verisimile; cumque in Humoristarum coetu carmina quaedam horrida, et inculta recitans omnium in se risus excitasset, quid ridetis, inclamabat, insani? ego sum ille Abbas Cagnolus, omnium, qui sunt in hoc numero, multo antiquissimus, quique ex dirutae Aquilejae poemate tantam mihi gloriam famamque collegi, ut nullus in terra vivat, cujus nomen sit apud omnes il-

illustrius et clarius (1) · Et quid mirum cristas erexisse Poetas, quos ab ipsis summis Principibus aliisque spectatissimis in Republica Viris longe plurimis in delitiis habitos, magnisque honoribus, ac praemiis affectos fuisse novimus. Alexander M. cum ad tumulum constitisset Achillis, eum hoc uno beatum praedicabat, quod praeconem virtutum suarum Homerum nactus esset; et nisi Ilias exstitisset, inquit Tullius, idem tumnlus, qui corpus contexerat, nomen quoque obruisset. Augustus versus in laudem Æneidos ipse componebat, ut vel sic absterreret illos, qui

(1) *Cujus nomen sit illustrius et clarius*) Tria Epigrammata veterum Poetarum, Naevii, Plauti, Pacuvii, quae sepulchris incidenda ipsi sibi scripserunt, plena fastus et superbiae legenda sunt apud Gellium *L.* 24 *Noct. Attic.* De Suſteno Catullus Epigr. XXII:

*- - - Neque idem unquam*
*Aeque est beatus, ac Poema cum scribit,*
*Tam gaudet in se, tamque se ipsum miratur.*

Cicero proinde T Q V, 22: *Adluc neminem cognovi Poetam (& mihi fuit cum Aquino amicitia) qui sibi non optimus videretur.* SCRIB.

qui ad ipsius Maronis moribundi praeceptum praestantissimum poema igne cremari, ac subduci posteritati cupiebant. Et ut alios taceam inter recentiores, qui modicis carminibus ingentes divitias collegerunt (1), non

 pos-

---

(1) *Divitias collegerunt*) Huc referri possunt Malaherba, cui Maria Medicea 15000 librarum pensionem annuam procuravit, teste Menagio *Rem. sur les Poes. de Malherbe p.* 378; et Desportes, de quo ita loquitur le Pays *Nouv. Oeuv. T. II p.* 180: *Un seul Sonnet luy fit payè de dix mil francs par l' Amiral de Joyeuse, et enfin aprés s' estre bien lassè à faire des vers; sa Muse acquit un repos de dix mille ecus de rente*. M.

Philippus Desportes pro parvo poemate a Carolo IX centum aureos nummos, et pro paucis versibus ab Henrico III mille unciales accepit. Vid. Baillet *Jugements T. IV. P. IV. p.* 84. Jo. Baptistam Marinum pro *Adonide* Maria Medicea, Regina Galliae, munere 100000 florenorum donavit; quod ipsi tamen non longe post furto ablatum fuit, quasi ipse tam magnum non meritus esset. Vid. *d. l. p.* 204. De Barlaeo in Sorberianis p. 40. haec leguntur: est tamen vir inter magnos aevi nostri numerandus; elogium scripsit Cardinali Richelio, quinque millibus florenorum repensum. Ipse Barlaeus ad Jacob. Peritium *Epistol. XXXVIII* inter eas, quas Jo. Brant, ineditas ante, Amstelodami a 1702 vulgavit: *Illic per triduum Hagae Comitis, evocatus ab illustrissimo Oxenstirnio Legato, qui lacrimas meas, quas superiori aestate in obitum Regis Gustavi effudi, ab-*

*ster-*

Nouv. possum certe hoc loco praeterire Pe-
Oeuvr. de M. trum Ronsardum, qui non modo tan-
le Pays T. II. p. ta apud regem Carolum IX gratia
182. florebat, ut cum illo carminum certamen inire non detrectaret, sed et ob unam poematis gloriam ab Elisabetha Angliae Regina adamante pretiosissimo, et a Maria Scotica supelle-

---

*stersit aureo sindone. Sane haec ex Aquilone mihi tempestas non fuit gravis. Expediet reges sic mihi saepe mori.* Idem, cum e Britannia regium munus accepisset, ita ad Godofredum de Haestrecht laeto calamo scribit: *Ante pauculos dies ad me misit Legatus Britannicus, Serenissimi Regis nomine, aureum torquem, δωρον vere βασιλικον. Jaceat vetustas laureatos aut hederaceos Poetas; ego auratus esse malim.* v. *Epistol.* 58 inter Barlaeanas, quas Gerhardus Brandt vulgavit; sed idem tamen Baudii conditionem tangit, non aeque feliciter auro inhiantis, ita scribens *Ep.* 61: *Baudii sortem memoras, cui minus feliciter successit poeticum hoc negotium. Memini Scaligerum abituriendi illi in Angliam cum ingenti Jamborum mole ad Jacobum Regem dixisse*: Baudi, tu abis in Angliam gravis spe, sed redibis levis aere. *Nec fefellit vatem augurium istud.* SCRIB.

Occasione carminum horum, meminisse juvat illius etiam distichi, quod *Colletet* Cardinali Richelio offerebat:

*Armand; qui pour six vers m'as donnè six cens Livres,*
*Que ne puis je à ce prix te vendre tous mes Livrès?*

I. GALL.

lectile aurea et argentea (1) donari meruerit, dictumque vulgo fuerit, nunquam Galliam ex tristi luctu,

N 3 quem

(1) *Supellectile aurea et argentea* ) Naudaei Mascurat p. 185. de Mazarino suo: *Balsac et Corneille l'ont remerciè publiquement; le premier, de ce qu' il luy faisoit payer ponctuellement une pension de quinze cens livres, et l'autre de ce qu' il luy en avoit donnè une de cent pistoles . . . Mais crainte que tu ne me serves d'un vel DUO vel NEMO venons, je te prie, aux autres. L'Ode de Mons eur Chapellain, n'a t'elle pas estè recogneüe d'une pension de cinq cens escus? la pr face des poesies du president Maynard ne luy valut-elle pas milles livres? le Cordelier de du Bosc n'a-t'il pas estè gratifiè d'une pension de six cens?* etc. De Desportesio conferri meretur Menagius in *Anti-Bail. T. I p.* 385., et ipse Bailletus *T. I. p.* 558., qui a p.556. usque 562. plura talia exempla cumulavit. Ex his illa tantum nostra facimus, quae p. 562. leguntur, ut constet, quandoque et Baviis regalia dona cessisse: *Mr. de Balzac avoit raison de loüer ce Dictateur Roman, qui donna de l'argent à un mauvais Poete, qui luy avoit presente des Vers, à condition, qu' il n'en feroit plus à l'avenue. Et l'on estimera toûjours un trait de la sagesse et de la generosité de la Reine de Suede, qui recompensa un froid et pitoyable Harangueur, pour avoir fini.* Them.

Non enim optima semper sunt opera, quae maximis praemiis autores suos ditaverunt. Novi Autorem tertii Tomii S - - - epistola dedicatoria centum librarum anglicarum stipendium annuum retulisse. Interim ex hoc argumento a multis de pretio librorum judicia fiunt. *Il est etrange*, inquit la Serre,

quem ob captivitatem Francisci I Regis sui conceperat, recolligere se potuisse, nisi Ronsardus eo ipso die, quo Franciscus captus est, miraculo quodam in lucem editus fuisset. Memoratu dignum est, quod de Camillo Querno refert Scriptor disertus, Paulus Jovius. Is inquit, e Monopoli Leonis X Pont. fama excitus, quum non dubiis unquam praemiis Poetas in honore esse didicisset, in Urbem venit, lyram secum afferens, ad quam suae Alexiados supra viginti millia versuum decantaret. Arrisere ei statim Academiae sodales, quod Apulus praepingui vultu alacer, et prolixe comatus, omnino dignus festa laurea videretur. Itaque solemni exceptum epulo in insula Tyberi Æscu-

Elog. P. II. p. 156.

re, *qu'on parle mal de mes Ouvrages après le bon argent que j'en ai reçû. Quand un Ouvrage est bien païé, n'est ce pas une Heresie de douter de son merite? Et y a t-il de meilleures pensées que celles, q'on recompense au poids de l'or?* Hac ratione magnus ille Cornelius, Gallus, de opusculorum suorum bonitate judicare solebat, teste *de la Bruyere*. I. Gall.

Æsculapio dicata, potantemque saepe ingenti patera (1), et totius ingenii opes pulsata lyra proferentem, novo

N 4 ser-

(1) *Potantemque saepe ingenti patera*) Scilicet ut Flaccus ait:

*Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,*
*Quae scribuntur aquae potoribus.*

et Plutarchus in *Symposiacis* testatur, ideo Aeschylum Tragoedias potando scripsisse, quoniam vini calor inveniendi vim excitat, quae in sobriis torpet aliquando: imaginationes movet, impetumque et fiducism ministrat. Atque ideo, vel Platone et Aristotele etiam docentibus, Bacchus quidam est furoris Deus, sine quo vates et Poetae parum proficere gentiles arbitrabantur. v. Gyraldum *de Poetar. hist. Dia. VI Opp. T. II p.* 345. Et hanc ob causam hederi olim, non minus ac lauro coronatos fuisse Poetas, ostendit Borremansius *de Poetis et Proph. p.* 24. *seq.* De Anacreonte nemo dubitaverit, qui ejus Odan XXXIX legat, ad quam vide interpretis Galli Longepierre Notas p. 200. Nec minus de Propertio constat, fuisse vini amantem; siquidem *Lib. III Eleg. XV, ad Bacchum* ita loquitur:

*Quod superest vitae, per te, et tua cornua, vivam:*
*Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.*

E recentioribus exempla plurima prostant eorum, qui genium mero provocarunt. De Mureto certe, quem merito Poetis accensemus, refert Erythraeus *Pinac. n.* 5. quod interdum vino se ad ebrietatem oneraverit. Caesar Ursinus, *Vir sane carus*, ut Anagramma habet, Bacchi furore multa se scripsisse fatetur in Praefatione *Macaronicorum*, quae sub nomine *Magistri Stopini* edidit, et in *Poem.* I Johannem

serti genere coronarunt: id erat ex pampino, brassica, et lauro eleganter intextum; sic, ut tam salse quam lepide ejus temulentia brassicae remedio cohibenda notaretur, et ipse publico consensu *Archipoetae* cognomen, manantibus prae gaudio lacrymis, laetus acciperet, salutareturque itidem cum plausu, hoc repetito saepe carmine:

*Salve brassicea virens corona,*
*Et lauro, Archipoeta, pampinoque,*
*Dignus Principis auribus Leonis.*

Nec multo post tanto cognomine per-

nem Bocerum post coenam saepe, ac Ennii exemplo bene potum, magnam optimorum versuum copiam fundere sine ullo labore, et sine lituris se vidisse, testatur David Chytraeus apud Jo. Goes. *Opusc. de Westphalia p.* 26. Pontus de Thiard, Poeta Gallus, capacissimos calices exhausit, nec unquam cubitum ivit, quin mero se totum prolueret, ut testis est Baillet *Jug. sur les Poet. n.* 1367. Dominicus Baudius passim πολυπότης audit, quem et ideo, ut notum est, Jac. Arminius *scandalum* vocabat *Academiae Leydensis*. Conf. Arnd. *Bibl. Pol. Herald. p.* 133 De Beronicio vero (de quo paulo ante)

*Vitam cui vinum praebuit, unda necem*,

vide *Acta Erud. Lips. l. c.* Vand.

percelebris productus ad Leonem, infinita carmina in torrentis morem rotundo ore decantavit, fuitque diu inter instrumenta eruditae voluptatis longe gratissimus, cum coenante Leone porrectis de mensa semesis obsoniis stans in fenestra vesceretur, et de Principis lagena perpotando subitaria carmina factitaret (1), ea demum lege, ut praescripto argumento bina saltem carmina ad mensam tributi nomine solverentur, et in poenam sterili vel inepto longe dilutissime foret perbibendum. Itaque cum aliquando, ut idem Jovius testatur (2), de se canere jussus, in hunc

(1) *Subitaria carmina factitaret* ) Quotusquisque est Poetarum, qui, ubi stans pede in uno centum aut mille versus effuderit, non glorietur maxime, et exsultet? Instar omnium ille apud Horat. Serm. L. IV, 14 fuerit:

*Crispanus nummo me provocat: accipe, si vis,*
*Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,*
*Custodes: videamus, uter plus scribere possit,*

*Nummo* lego cum Cl. Bentlejo, non *minimo*, quae fuit hactenus recepta lectio. Sam.

(2) *Jovius testatur* ). Refert id quidem de Andrea Ma-

hunc hexametrum erupiſſet:

*Archipoeta facit verſus pro mille Poetis*,

et demum haeſitaret, illico Pontifex perargute addebat pentametrum:

*Et pro mille aliis Archipoeta bibit* (1).

Ete-

---

Marone; Poeta; ſed haud dubio errore; Caſpar Ens *Epidorpidum T. I. p.* 248. M.

(1) *Archipoeta bibit*) Mireris merito, obmutuiſſe tam cito Poetam in argumento adeo grato, fecundoque, quod et ad laudes ipſius ſpectabat. Fortaſſe Papa pariter ingenioſi reſponſi aliquid ab eo exſpectabat. Sed e compoſito colluſiſſe videntur. Quid enim non faciant mortales, ut ingenii laudem deportent. Et cur ergo Poeta tum non cogebatur ad bibendum vinum dilutum, quemadmodum antea conventum erat? Num Papa horum omnium oblitus erat, quod gauderet de proprii ingenii promtitudine? Verum fallor utique. Leo enim potius juſto ſeverior judex, Poetam omni potu prohibebat: huic etenim, ſecundo aut potius tertio verſiculo errorem ſuum reparaturo, ſicque canenti:

*Porrige, quod faciat mihi Carmina docta falernum.*

Pontifex extemplo regerebat:

*Hoc etiam enervat debilitatque pedes.*

En novum colluſionis documentum, immo Charlataneriam apertiſſimam. Ultimus hic verſiculus Virgilianum epigramma quoddam de Vini Amoriſque uſu imitatur. Conſtat interim, Leonem X non raro ex tempore carmina fudiſſe; nec tamen victoriam

Etenim et longe plures commemorari poterant, qui genium mero sollicitare paulo largius consueverunt, niſi temporis habenda esset ratio (1). At

riam semper reportabat. Vix quisquam ingenio fuit magis histrionico quam hic Pontifex. vid. *Bayle* in D. H. C. Art. Leo X. I. Gall.

(1) *Habenda esset ratio*) Non levis quoque est Gallorum ineptia, arbitrantium, sola sua patria vina sufficere ad excitanda et alenda elegantiora ingenia, nec inde fieri posse, ut genuinus Germanus sit genuinus Poeta. Atqui confundant illos, non refutent Viri praestantissimi et ingeniosissimi, Hofmanswaldau, Besset, Neumeister, alii. Doctissimus Gundlingius haec de Gallis illis Thrasonibus *C. I. p.* 79 *edit. primae*, *Ottorum* monuit: Galli Germanorum Carmina legere nesciunt, eo quod linguam nostram militibus saltem convenire existimant, et hinc est, quod suspicantur, nulla nobis Poemata esse, quam quae callidas *Reinicke* vulpis technas exponunt, aut boni illius *Sachsii* Rhythmologias, quas Phonasci hodienum in pretio habent. I. Hall.

Quid inde mirum, quod ignorantes hi osores nobis quoque impudico ore oggarniunt Distichon, quo Gambaram, Poetam Antwerpiensem, paucis mutatis lusit Muretus:

*Credite, Vestratum merdosa volumina Vatum*
*Non sunt Nostrates tergere digna nates.*

Sed facessant bardi illi et inficeti. Condigne tamen ipsorum convitiis responderunt post Lansium, Cramerus in *Vindiciis*, Bernardi *in Meditat. Acad de Germania artibus literisque nulli secunda*, Richey *in Iudiciis quor. Gallorum iniquitatis convictis*; Gryphius

At de Poetis laureatis (1) nonnihil hoc loco dicendi peropportuna nobis nascitur occasio, quippe qui non minus ac victores in Olympicis, sibi placent, et quendam quasi in Poesi dominatum erigunt (2). Ipse Petrarcha, qui primus fere honorem illum

Nouv. Oeuvr. de M. le Pays T. II. p. 186.

phius *in Schediasm. anecdoto de erroribus Gallorum Geographicis*, et alii: de quibus olim ex instituto. Q. Marc.

(1) *De Poetis laureatis*). Utique hic sibi maximopere placebant, cum se laurea caput cincti in speculo, vel aere conspicerent,

*Beatus Fannius, ultro delatis capsis & imagine*.

Hor. *Serm. IV* 21., 22.

Ceterum de Poetis laureatis vide Berneggerum *Observ. hist. pol.* 1 in fine, Taubmannum in *Dissert. de Latina lingua* et Jac. Thomasii et Th. Reinesii *Epistolas duas* Maresianis sub finem additas. Sam.

Legatur etiam annotatio V. C. Costaei ad traductionem huius versiculi Horatiani, quam Tarteronius edidit. Ridiculum ibi exstat de Poeta quodam Anglo vanitatis exemplum. I. Gall.

(2) *Quendam in Poesi dominatum erigunt*) Taubmannum adhuc Alumnum Mellissus laurea donavit; vid. Erasmi Schmidii Orat. in memoriam Taubmanni in *Memoriis Philosophorum Wittenii Decad. I p.* 83, qui tamen in dissertatione *de Latina lingua P. I*, 109 Poetae doctissimi Adami Theodori Siberi meminit; qui nomen suum Poematibus subsignaturus, se Poetam non laureatum scripsit. Scrib.

lum consecutus est, non alio in loco Romae, quam quo Imperatores Romani consueverant, coronari voluit; et constat de Ludovico Ariosto, quod, cum ab ipso Imperatore Carolo V laurea accepisset, tanto repente gaudio fuerit perfusus, ut velut oestro percitus per omnes plateas cursitaverit, ipso *Rolando furioso* quem carmine descripserat, longe furiosior (1). Henricus Loritus Glareanus, cujus et supra mentionem fecimus, a Maximiliano I Imp. corona poetica donatus, cum peregrinos aliquos se ipsum visendi gratia accessisse audivisset, tum laurea indutus, et aurea torque ornatus, ac conclave elegans et amplum ingressus, et in hemicyclum se recipiens, sedebat im-

Lassel Voy. d'Ital. T. II. p.244.

Paravicini Singul. de Vir. cl. p. 81.

(1) *Longe furiosior* ) Hetruscum est poema, quod *Orlando furioso* inscribitur: dedicaverat illud autor Duci Ferrariensi, sed nihil aliud ab eo retulit praeter verba ilſa. *Signor Ariosto dove per Dio habete pigliato tante coionnerie?* v. Le Pays *l. c. p.* 184, et ridetur salse Ariostus ab autore libri *Hist. Poet. de la Guerre entre les Anc. et Mod. Liv.* 5 M.

immotus (1), perinde atque illos non videret, qui acceſſerant, atque ita etiam abire patiebatur. Et relatum accepimus de Simone Dach (2), cujus est in Boruſſia nomen celebratiſſimum, nunquam eum in publicum prodiiſſe, quin corona, ac ceteris

(1) *Sedebat immotus*). Non multum abit, quod de Barthio habet Paravicinus Cent. III Singul. N. 4. Ille, ut erat in plurimis moroſus, ita exteris acceſſum ad se videndum non facile permittebat. Cum tamen aliquando ipſum Anglus quiſpiam inviſeret, intentis eum oculis aſpiciebat, sed clauſo ore; denique se avertens aiebat; *Si me a parte anteriore contemplatus es, contemplare nunc etiam a poſteriore*.

Quantum vero ad Dachium, certiores nos fecit Vir gravis et fide dignus, nihil sibi horum, cum ante annos jam bene multos Regiomonti degeret, de optimo viro innotuiſſe, quin potius contrarium se testari poſſe: quod scilicet Dachi memoria apud omnes cum Academiae tum oppidi Cives, ut Viri moderati et placidi in summo honore fuerit. Neque ipse diffiteri poſſum, mihi similem paene narrationem de nescio quo *Hombergio* Poeta Germano, factam eſſe, Quanquam et de hoc nihil certi affirmare auſim. THEM.

(2) *Simone Dach*) Indicta haec cupio, postquam me docuit Cl. *Mich. Lilienthalius*, ne quidem lauream unquam impetraſſe Dachium; v. Ejusd. *Erlaeuuertes preuſſen* T. I p. 187.

ris ornamentis, quae Poetam laureatum decent, fuerit insignitus. Deinde illud quoque praecipuum habent Poetae, quod ingenii sui foetus, perinde ut canis catulos suos, amant, et lambunt, et praematuro saepe partu in lucem protrusos centies praelegunt amicis suis (1) ac patronis, et cum alios non invenerint, quorum

(1) *Centies praelegunt amicis suis* ) Equidem et veteribus id sollemne fuit. Unde Plato Antimacho sua poemata recitanti omnium instar fuisse perhibetur. Conf. Rob. Titii Bergensis *praelect. in* Catull. *p.* 601. Quintilius liberrime corrigebat, quaecunque ipsi praelegebantur carmina, fidelissime admonens morigeros, sed cum obstinatum videret Poetam, tacite illum, nullo addito verbo, dimittebat. Vid. Robortelli *Comm. in Poet. Horat. p.* 18. Et Ferdinandus Furstenbergius in Poem. p. 99 scribit:

*Sic Venusinorum sermonum candidus audit*
*Judex Tibullus, et suos*
*Nasoni solitus recitare Propertius ignes*
*Arbitrio illius stetit.*

Sed ea est plerumque Poetarum arrogantia, ut pauci aequo animo ferant amicorum admonitiones: verum plausus tantum ac praeconia quaerunt, eoque ad alteram identidem stropham in sinu quasi gaudentes oculos in auditores suos conjiciunt, ut illis se placuisse intelligant. VAND.

rum aures obtundant (1), novem Musas cum Apolline provocant, ut numerum faciant (2). Quin et nova comminiscuntur carminum genera (3). Cho-

---

(1) *Aures obtundant* ) Quod si quaeris, unde hic Poetarum pruritus sua opera cunctis praelegendi nascatur, et cur iis fere proprius sit? respondeo, inde hoc fieri, quod inter omnes ingenii humani foetus nullus aeque philavtiam excitare valeat, ac poema. Numerus, rhythmus, et harmonia versuum, immo sermo ipse a communi loquendi consuetudine recedens; haec omnia, inquam, hominem de se ipso magnifice sentientem ita delectant, capiunt, rapiuntque, ut non possit non aliorum plausus sollicitare.

*Il poursuit de ses Vers les passans dans les rües.*

Boil. Sat. VIII. I. GALL.

(2) *Ut numerum faciant* ) O felices quondam Poetas Romanorum, qui, cum recitandum esset poema aliquod, certos alebant homines, qui recitantibus plauderent! Juvenalis *Sat. VII*:

*Scit dare libertos extrema in parte sedentes*
*Ordinis, & magnas comitum disponere voces.*

SAM.

(3) *Comminiscuntur genera* ) Germanos prae reliquis hujus pruritus insimulat Naudaeus l. c. p. 213, ubi personatus *Saint-Ange* ad *Mascuratum* suum: *Je m' etonne toutefois, qu' ayant parlé de celles* ( Poesies Macaroniques ) *des Italiens et des François, tu ne dis rien des Allemands et Flamands, qui sont naturellement portez à toutes ces sortes des Badineries* etc. Etenim, si verum fatendum,

*Nil intentatum nostri liquere Poetae;*
*Sed minimum meruere decus* car-

Choriantica, Asclepiadica, Dicola, Distropha, Tetrasticha, Acrostica, et nescio quae alia: in quibus non O quod

carminibus suis hieroglyphicis, cancrinis, pyramidalibus, cruci-et calici-formibus, aliisque genuinae Poeseos dehonestamentis. Ut mirer sane, Virum litteratum ante XII hos annos peculiarem Commentarium *de Poesi Germanorum Symbolica* publicasse. Taceo Poetastros et Rhythmi daedalos, qui in sutrina sua vel ad textorium sedentes Musis vim inferre, versuumque, si Diis placet, Myriades profundere non verentur. Talis fuit sciolus ille Paedotriba rusticanus, qui tantum non Megalensia celebrari fecit, aut munera accolis suis edidit, cum post quinque et quod excedit dierum sudores, distortum denique hunc Pentametrum enixus esset: *Sed*

*Que non mutari, sunt toleranda, queunt.*

Itemque bonus iste Andr. Colbius, qui, quod porcus mactatus erat praepinguis, atque ei et anser et capus et gallina suppetebant, lepus etiam piscesque ex sententia aderant, admovendum omnino dubiae Coenae putavit Petr. Paganum, veterem Fautorem, istumque his versiculis invitatum voluit:

*Domine Petre, Domine Pagane,*
*Colbius rogat, velis, ut, Andreas,*
*Vesperi quarta mactabimus suem,*
*Ad se venire.*

Bellissime omnia! nec enim hospites opiparum convivium recusarunt, sed laute coenatum est, crateresque in seram usque noctem eversi. THEM.

Cancrinos versus, qui retrogrado ordine legi possunt, nemo ante Joannem Henricum Risium, in comitatu Sponheimensi natum, agressus est, qui Epi-

quod pueri in faba invenisse sibi videntur. Taceo vesanam illorum fingendi ac mentiendi libidinem, qui vel

---

Epigrammata cancrina Viris eruditis primus scripsit, teste Frehero *The. Vir. claror. p.* 690. De versibus Leoninis plurima lectu jucunda collegit S. R. Rechenbergius in *Diss. de ineptiis Clericorum Romanens. literariis pag.* 590 *seqq. in Diss. Acad.* CHAR.

In medium proferamus exempla quaedam hujusmodi carminum.

Retrogradum.

*Prospicimus modo, quod durabunt tempore longo*
*Foedera, nec nobis pax cito diffugiet.*

Inverso ordine vocum

*Diffugiet cito pax nobis, nec foedera longo*
*Tempore durabunt, quod modo prospicimus.*

Versus Leoninus;

*Filius hic, pater hic, et Avus et Proavus isthic.*

( qui quatuor Personarum epitaphium eadem opera absolvit. )

item:

*Ad primum morsum si non potavero, mors sum etc.*

Versus Macaronici:

*Helas Helas! Pater a cornibus,*
*Pleurer nous faut privati dolio,*
*Le Piot manquant perit Relligio,*
*Adieu vous dis Fratribus omnibus.*

Versus quos Galli vocant *rapportez*:

*Vir simplex, fortasse bonus, sed Pastor ineptus*
*Vult, tentat, peragit, plurima, pauca, nihil.*

Versus Echo imitantes:

*Quel est l' auteur de ces maux avenus? Venus.*

Versus *à rimes Emperieres*:

En

vel cum Arioſto illo, de quo modo diximus, cum hippogryphis ex Luna deſcendunt; vel cum Typhone

 apud

---

*En grand remort* - - mort-mort.
*Ceux qui parfaits* - - fais-faits.
*Ont pour effort* - - fort-fort.
*Des Clercs tous frais* - rez-rais.

Verſus *à rimes Fraterniers*:

*Metsovile au vents cingle vers nous*; Caron.
Caron *t' attend puis quand seras en* tente,
Tant et *plus boy bonum vinum* Charum,
Qu' arons *pour vrai. Donque sans longue* attente,
Tente *tes piez à si decente* ſente.
Sans te *fâcher; mais en soit content*, tant,
*Qu' en ce faisant nous le soyons au* tant.

Acroſtichon:

*Amour au coeur le Nom d' Anne imprimA.*
*Nom tres heureux d' une que j' aime bieN*
*Ni de nous deux cet amoureux lieN*
*Autre que mort defaire ne pourrA*

Verſus diſcerpti, Gallice *Coupès*;

*Je n' aimai onc* - - - *Anne ton accointance*,
*A te deplaire* - - - *Je quiers incessamment*,
*Je ne veux donc* - - *A toi prendre alliance*,
*Ennui te faire* - - - *Est tout mon pensement*,
*Te donner blame* - - *Est mon esbatement*,
*Je ne prie ame* - - *A te faire service*,
*Le Diable entraine* - - *Cil qui est ton Amant*,
*Qu' il t' a en haine* - - *Dieu conserve et benisse*.

Verſus Literales:

Germanus quidam, Porcius dictus, in pugnam porcorum poema Latinum trecentorum vel quadringentorum verſuum compoſuit, cujus ſingulae voces per P incipiunt. e. g. *Por-*

In Dionysiac. apud Nonnum, se aurigaturos coelum, imo octies majus effecturos, quod hoc nostro capi satis non possent, et novis nuptiis copulaturos stellas, ut coelo plenior sit soboles, ineptissime somniant. Nec quidquam addam (1) de *Furore*, quem vocant, *poetico*; cui Θειον quippiam inesse sibi persuadent (2): quamvis illum quo-

*Porcorum Placuit Parvam Prefigere Pugnae Pagellam etc.*

*Des Accords*, Autor Libri *des Bigarrures*, ejusmodi plura exempla producens ait, ei, qui sex versus ejus generis contorserit, merito ad respirandum haustum porrigendum esse. I. Gall.

(1) *Nec quidquam addam*) Non Poetae solum, verum et Philosophi id sibi in animum induxerunt, Poetas omnes afflari Dei Numine propiori. Legendus omnino est Plato in Jone, et Dial. 3. de Rep. Chrysol.

(2) *Inesse sibi persuadent*) Maxime in Anagrammatibus nescio quid peculiare et ominosum quaerunt ista Vervecum capita. Atqui divini nihil nullumve in illis latere, vel ex eo solo clarum fit, quod Eruditi etiam in scriptis eristicis adversarios suos iisdem traducere non dubitarunt. Sic Emericus Cruceus, a Joh. Frid. Gronovio forte lacessitus, haec ex ejus nomine elicuit; *Ego unus, cor asini ferens, rudo*: quibus et hoc Distichon superaddidit:
*Lucius inversus hominis sub pelle Gronovi*

Oc-

quoque facillime trahi poſſe in rem noſtram, nemo ibit inficias.

O 3 Nunc

---

*Occultas aſinum, quem procul ire jubes.*

Evolve otia Gundlingiana, ubi C. VI lepidum Epiſtolium de Anagrammatum Admiratoribus et p. 255 edit. vet. ſingulare illud de Gronovio et Cruceo legitur. Poſſent hic afferri plura aculeata Anagrammata, quae mores ejus, quo de ſermo eſt, non male exprimunt; quia vero et illa ipſa potius animi exacerbati et infeſti, quam excellentis ingenii inventa fuerunt, nobis quidem iſta tangere nefas eſto. I. Hall.

Lipſiae quidem in anagrammatibus multam olim operam poſuit quidam M. Frenzelius, qui, cum funus duceretur Viri honoratioris, illud uno ſaltem anagrammate, ſi non pluribus, proſequi ſuevit. Sed referunt, tam difficiles ipſi partus hos extitiſſe, ut, quoties in anagrammate inveniendo laboraret, toties humi ſe projecerit toto corpore, atque ita ſe mirum in modum contorquens et nunc huc nunc illuc volutans, nunquam ceſſaverit, quin aliquid elicuiſſet, invita licet ſaepius Minerva. Vand.

Egregie depinxit huc Anagrammatiſtarum cruciatum *Colletet* his verſibus:

*Menage, ſans comparaiſon,*
*J'aimerois mieux tirer l'Oiſon,*
*Et même tirer à la rame,*
*Que d'aller chercher la Raiſon*
*Dans les replis d'une Anagrame.*
*Cet exercice Monachal*
*Ne trouve point ſon vertical,*
*Que dans une tête bleſsée,*
*Et ſur parnaſſe nous tenons,*

*Que*

Nunc ubi ad doctrinam Logicam (1), et Metaphysicam delabimur, proh quantum ubique ineptiarum deprehen-

*Que tous ces renverseurs de Noms*
*Ont la Cervelle renversée.*

Ceterum non pauci primi ordinis eruditi his quisquiliis inhiarunt. Nec ad vituperium minus quam ad laudes adhibitae fuerunt. Poetae imprimis ex amicarum suarum nominibus anagrammata composuerunt, quibus hic proferendis supersedeo. Dantur praeterea versus, in quibus omnes Alphabeti literae occurrunt, qualem Scaliger composuit:

*Vix Phlegetum Zephyri, quaeres modo flabra Mycillo.*

Quod Gallice etiam a nonnemine tentatum est:

*Qui flamboyant guida Zephire sur ces eaux.*

Exstant etiam Chronographa aliaque infinita, ut taceam ea, quae *Neufgermain* excogitavit, quaeque iis semper finiebantur syllabis, ex quibus nomina eorum constabant, quorum laudes praedicandas sibi sumebat. Haec jam sufficere poterunt. I. Gall.

(1) *Ad doctrinam Logicam*) Meum hic facere poteram versiculum, quem, teste Naudaeo in dialogo *le Mascurat* p. 393. Coelestini monachi Parisiis coenobii sui foribus inscripsere:

*Linquo Coax ranis, Cra corvis, vanaque vanis;*
*Ad logicam pergo, quae mortis non timet ergo.*

Autor ejus perhibetur quidam Silo seu Serlo, Professor Log. in Academia Parisiensi circa An. 1181, qui a discipulo quodam harum ineptiarum studiosissimo, ut convenerat inter ipsos, post mortem de poenis infernalibus admonitus, missis sophisticationibus, et adscito habitu religioso, hoc ipso versiculo ultimum vale dicebat auditoribus suis. Conf. Ant. Wood *Athen. Oxon. in Fastis T. I pag.* 833 M.

hendimus! Quis enim ferat tot vanas et inutiles digladiationes, de formalitatibus, haecceitatibus (1), quidditatibus, intentionibus, suppositionibus, exponibilibus, reduplicativis, particularisationibus, suppositi, mediatis et immediatis, complexis et incomplexis (2), (jam spiritus me de- Conf. Agr. de Van. Sc. Cap. 8

 fi-

(1) *De formalitatibus, haecceitatibus etc.*) Alia id genus vocabula, tum et quaestionum stolidarum et inutilium exempla, qualia barbara secula olim pepererunt, suppeditabit Rostochiensium celeberrimus Thelogus, Dn. Joh. Fectius in Dissert. *Joh. Reuchlini Vitae*, a Majo conscriptae, praemissa. *A.* 5, 6 Scrib.

(2) *Incomplexis*) Multo magis barbari dantur termini, quam hi, ab Oratore nostro adducti; immo tanto prostant numero, ut justus Calepinus exinde facile confici possit. Iterim haud magna opus fuit opera, ad monstra haec eiicienda: solus enim contemtus ad barbarismos hos eliminandos abunde suffecit. *vid.* Baillet *Jugem. des Sçav. T. I p.* 188. *Ces Substilitez*, inquit Rapinus, *n' ont lieu, que lorsque les bonnes raisons ont manquè: On s' attacha à des Formalitez, quand on n' eut plus rien de reelà dire. On ne chercha plus la veritè, mais l' art de faire des Objections et d' y repondre, à la faveur de cent terms de nouvelle fabrique que les Philosophes n' entendoient pas eux mêmes.* vid. dict. *Baelii* Art. Thomaeus, remarque A. Haec est mentis humanae natura; ad vana et ridicula delabitur, si viribus destituitur ad solida prosequenda. vid. hac de re celeb. *Baco* in libro de augm. scient. I. Gall.

ficit ) breviter, tot intolerandis subtilitatibus (1), cum quibus si Cleanthis aut Chrysippi argutiae una cum Daphitae, Euthydemi, Dionysiodori circumventiunculis componantur, penitus crassae rusticanaeque futurae sunt. Enimvero etsi jam pridem a nostris explosas novimus Scholasticorum quaestiunculas (2), tot bellissimis

(1) *Subtilitatibus* ) Adde passionabilitates, ampliationes, coessentiationes, futuritiones potentionabilitates, virtualitates, foemineitates, bestialitates, equeitates petreitates et similes, tum distinctiones inter *κατὰ πόδι* aliter et restrictive etc. CHAR.

(2) *Scholasticorum quaestiunculas* ) Addamus nonnullas illustrationis ergo: Utrum Logica sit scientia rationalis una et ab aliis distincta? utrum sit modus sciendi? utrum Logica sit acquisita per logicam? quodnam sit principium individuationis? quomodo ens se habeat ad Deum et creaturas, ad substantiam et accidens, an univoce, an aequivoce; an analogice? an Physicae objectum sit ens mobile, an corpus mobile; si hoc, an qua mobile, an vero qua naturale? an materia prima sit pura pura potentia? utrum materia sit actus entitativus? quomodo privatio principiet corpora naturalia? utrum inter materiam et formam, quando uniuntur, detur duplex unio? an primae qualitates sint formae elementorum? num, si quis duobus collegiis intersit, dici de eo debeat: iste est *membrum* duorum collegiorum, an vero: iste est *membra* duorum collegiorum, et reliqua. CHAR.

simis Sophisticationibus involutas: *utrum* scilicet *Deus, in firmamento sit in aliquo praedicamento? num Magister nostrandus, an noster Magistrandus dici debeat? Quodnam majus sit miraculum, an, si elephas aeque exiguus fuerit ac pulex, an vero, si pulex magnitudine sua aequaverit elephantem?* aut *num chimaera in vacuo bombillans possit comedere secundas intentiones?* adhuc tamen monstra illa verborum perterrefaciendis pueris inventa, *barbara*, scilicet, *celarent* (1), *da-*

(1) *In Barbara & Celarent.)* B. Scherzerus pulchro enigrammate primae Figurae modos complexus est. Scripserat non nemo novam Logicam, atque in ea novitatis studio primum modum in prima Figura, quem *Barbara* vocant Logici, omiserat; accidit vero, ut idem postea Gothae Barbaram, virginem, impraegnaret, quam uxorem ducere jubebatur a Principe. Itaque his in eum versibus lusit:

*Novam qui scripsit Logicam,*
*Figuram negat unicam,*
*Gothanam nempe* Barbaram.
*Quam vellet, ut* celarent *nunc,*
*Quam concupivit* dari *tunc*!
*Hanc tu figuram ducito;*
*Dicit Princeps, aut* ferio.

VAND.

*darapti*, *ferison* (1) et similia studiose colimus ac tuemur. Prorsus ut ad nostra quoque tempora accommodatum videatur epitaphium, quod barbaris saeculis quisquiliarum harum patrono positum accepimus:

Naudé Hist. des Fr. de R. C. p. 92.

*Hic jacet Magister noster,*
*Qui disputavit bis aut ter,*
*In barbara et celarent,*
*Ita ut omnes admirarent,*
*In fapesmo et frisesimorum,*
*Orate pro animas eorum.*

Memini B. Parentem meum ita olim his

(1) *Ferison*) Constat equidem multos Logicorum hos terminos non nisi Charlataneriae caussa adhibuisse, certissimum tamen etiam est, eos in usu, cui destinati sunt, nihil ridiculi in se habere, sed contra admodum commodos esse, ad indiqandam unica voce quadam certam ratiocinandi rationem, quam sine iisdem terminis technicis prolixa oratione vix explicare possemus. Nolim itaque credere, Oratorem nostrum ex eorum numero esse, qni frigido satis sale *Barocco* et *Felapton* hoc fricantes, id prorsus rejiciunt. Asserere potius ausim, eum non nisi illos hic perstrinxisse, qui mysteria in iisdem vocibus crepitant, aut in discursibus suis expresse innuunt, se argumentum aliquod in *Bocardo* aut *Ferison* proposituros esse. *vid. la Log. de Port-Royal.* I. GALL.

his ineptiis occupatum fuisse, ut saepe postea exsecratus fuerit tot horas atque dies futili labori consecratos, quos multo rectius insumsisset illis studiis, quae deinde, cum ad se rediisset, non sine aliqua laude tractavit. Et dignus est auribus vestris titulus; Auditores, thematis prope inextricabilis, quod admodum juvenis ad capessendum inter Magistros Jenenses locum (nam jura ipsa Magisterii apud nos jam adeptus fuerat) publice in Academia Salana proposuit: *de Praecisione inter creata realiter identificata* (1), num

(1) *Creata realiter identificata*) Quis credat etiam hodie, et quidem in media Gallia, illa politioris literaturae sede, deprehendi, qui rerum extra se omnium realitatem negent? Refertur enim in Memoriis Trevoltiensibus, Parisiis novae sectae autorem (cujus quidem nomen non additur) existere, qui ex Malebranchii Metaphysicis plus nimium sapiens, eo processerit, ut statuat, se solum re vera existere, ceteros homines et creaturas omnes suos esse conceptus, vel rectius, somnia. Atque is quidem nactus est discipulos, *Egoistas* dictos, quorum sin-

*num objectiva sit, an vero tantum formalis?* Etenim audax facinus et temerarium visum est omnibus, quod Vir imberbis et aliunde in hanc altercationis sphaeram delatus, rem usque adeo perplexam et absconditam in cathedram deducere et cum exercitatissimis vitilitigatoribus ac logodaedalis in arenam descendere non dubitaret. Gloriabatur ante alios ex Adjunctorum, quos vocant, Facultatis Philosophicae ordine aliquis (quem, nescio num subtilitatibus istis, ad dementiam demum adactum constat), Vir utique acutissimus, quem, non secus atque olim Raymundum Lullum, radium mundi et

singulos pariter de se ipsis credere tradunt, quod soli sint in mundo, cetera omnia tantum in ipsorum cogitationibus existant. VAND.

*Où est l'homme* (inquit *Baelius* in Dict. Art. Rorarius Rem. B.) *Où est l'homme, qui oseroit dire, qu'il n'y a que lui qui pense et que touts les autres sont des Machines?* Ejusmodi hominem postea inventum esse in Gallia, ex antecedenti observatione patet, qui ne quidem machinarum titulo dignos arbitratus est alios homines. I. CALL.

et virum illuminatum vocabant discipuli, se Lipsiensem istum Juvenem mire depexum daturum et ducturum ad absurdum. Fit pugna, torquentur in nostrum tela acerrima; intermixtis haud parce scommatibus, quae probe norunt Athletae isti, quantum faciant ad excitandos risus et cachinnos. Sed non minus ille fortiter cuncta excipiebat et juvenili paulatim ardore inflammatus hostem crudelissimum redigebat ad incitas, victoriamque omnium confessione luculentissimam deportabat. Pungebant haec non parum Adversarium, quare, ut novum aemulum in invidiam adduceret apud studiosos juvenes, proximo statim post pugnam die ex valvis publicis indicabat, sibi propositum esse, docere juventutem, qua ratione non tantum Opponens et respondens, verum et Praeses maxime in congressibus disputatoriis prudenter ac modeste se gerere debeat. Quibus vix auditis, noster ex iisdem valvis annuntiabat scholas novas, in quibus, quo ordi-

ne,

ne, quave modestia non modo Praesidem et Respondentem, verum et praecipue Opponentem uti conveniat, demonstraturum se pollicebatur; id quod incredibili omnium concursu haud infeliciter praestitit. Sed justo longius me abduxit dulcissima Parentis mei memoria, cujus hic mentionem me fecisse eo minus indecorum arbitror, quod ipse, quoties ista narraret, fateretur ingenue, se illo tempore, quo tenerum animum invaserant nugae illae, fuisse omnium quos Sol adspicit, stultissimum (1). *Nihil* enim, ut Sarisberiensis loquitur, *est infelicius, quam in eo, in quo minimum proficias, plurimum laborare* (2). De

In Policratico.

(1) *Omnium quos Sol adspicit stultissimum*) Ita B. Christ. Weissius in Epistola ad Balbinum non obscure suam vicem deplorat, quod octodecim annorum adolescens Lipsiam deductus, totes dies, totas noctes saepe Suaresii, Oviedonis, Ariagae, Dantis lectioni dedisset, eoque terse scribendi rationem non parum corrupisset. Vid. *Epist.* ejus nuper ed. *p.* 58 Scrib.

(2) *Plurimum laborare*) Possent de illis aliqua addi, qui

De disciplinis practicis nihil dicam; ecquis enim ineptias quaesiverit inter eos, qui primi omnium animum

mum

---

qui sive dicant, sive scribant, meros syllogismos loquuntur; quasi vero scitum argumentum non absque addita etiam *Majore* valide concludat. I. HALL.

Immo addi et ii poterant, qui methodos singulares in tradendis disciplinis crepant. Nonnulli in rebus incertissimis Mathematicam secuti sunt methodum, quem nec satis videntur habuisse perspectam. Quo loco non possum praetermittere Yvonem Gaukes M. D. qui in Dissertatione *de Medicina ad certitudinem Mathematicam evehenda* Amst. 1712 methodum Mathematicam sequi constituit, e qua tamen nihil adhibuit, praeter verba illa, *Definitio*, *Propositio*, *Postulatum*, *Scholium*, quae discursibus suis addidit, et probationibus, quae nihil habent cum Mathesi commune, citationes nonnullas inseruit. Atque ita tamen casus e praxi clinica demonstrare ausus est; e g. probat Propositionem: *febris decem dies duravit*, ex eo, quia decem dierum spatio remota fuit causa febris; item illam: *Homo quidam triginta annorum febrem accepit*, ex eo, quia hominis triginta annos nati sanguinis calidior sit, quam aliorum. Conf. *Acta Erud. Lips.* 1713 *p.* 33, 34 VAND:

Philosophia perperam tractata multis profecto nocuit, hocque Sapientiae falso sic dictae studium plurimos reddidit stultos, quod *Rapinus* V. C. exemplis selectissimis probatum dedit, in *Reflex sur la Philos. Art. XXVII* seqq. Immo majus quid alibi me observasse memini. Majus inquam, cum sanam mentem quam vitam amittere praestet. Narrat nimirum

*Mu-*

mum hominis ad sapientiam et virtutem componunt? Quamvis nec hic quidem prorsus sterilis nobis futurus sit

---

*Muretus*, Philetam quondam sanitati suae offecisse mortemque sibi accelerasse vanorum Sophismatum Logicorum amore nimio. Equidem *Baelius* (vid. Dict. Art. Philetas) in dubium revocat hanc mortis ejus causam, verum ipsa Athenedi verba Mureti sententiam confirmare videntur. Non morabor quidem diu in recensione totius facti, haud tamen ingratum multis fore arbitror, si *sophisma* illud *mendax*, quod mortem illi attulisse dicitur, paucis in medium proferam. Argumentum nimirum est, cujus termini id, quod probandum est, destruere videntur, sive aliquod ratiocinium, quod per probationes suas se ipsum destruit. Baelius ex Cicerone hoc exemplum suppeditat: *Si vous dites que vous mentez, et si en le disant vous dites la verité, vous mentez. Ou vous dites que vous mentez, et en cela vous dites la verité, donc vous mentez, en disant la verité. Il est aisé de voir, que ce n'est qu'une subtilité puerile. Aristote cependant declare, que le Menteur se jette dans une extrême perplexité; mais Seneque se moque de la multitude des Livres, qui ont été faits sur ce Sophisme*. I. Gall.

De logicis ita Bohusl. Hassensteinius in opusc. de Mis. hum. p. 31: *Torquent enthymemata Logici, Syllogismorum struunt sylvas, ut captiosis argumentorum ambagibus mentibus imperitorum illudant. Irridet hos Socrates, apud Platonem. Dion eos Eunuchis comparat, Origenes per Cyniphes et ranas, quibus Aegyptii sunt percussi, vanam delecticorum garrulitatem intelligit*. Ad haec quae de *Stoicis* imprimis *spinosis*, *qui*

sit ager, si vel unam de affectibus doctrinam consideremus, cum alii in perspiciendis aliorum affectibus lynceos oculos, alii in frenandis eradicandisque propriis vires Herculeas jactitent (1). Notae sunt Stoicorum

P nu-

*qui solam habuere doctrinam de argumentatione*, Commentator Hassensteinii Henningus Succovius monuit p. 184 seq. legi merentur. VAND.

(1) *Vires Herculeas jactitent*) Hi homines nobilissimum DEI donum neque recte cognoscunt, neque grati agnoscunt. Quemadmodum enim aqua stagnans vix a corruptione absque motu conservatur, sic humani corporis machina sine affectuum adjumento in statu suo subsistere haud potest. Abusus, etsi permagnus, rectum tamen usum, tot egregia praestantem, non tollit. Affectati in exstirpandis affectibus Heroes aut se ipsos decipiunt, aut alios; crebro utrosque. Dantur homines ejus simplicitatis pariter et audaciae, ut aliis persuadere conentur, se affectibus, voluntate, concupiscentia, imo cogitationibus ipsis et sensibus, (quidni et ratione?) carere. Illis addenda videntur Ingenia sympathetica, quae sese hominem ex odore, visu vel voce dijudicare posse, jactant, utrum sibi similis sit, et affectuum domitor? At, ô quam verum est nostrum illud: *Mundus vult decipi*. Eandem Epigraphen ii quoque merentur, qui conjecturas aliquot morales, vix levem probabilitatem inferentes, summa cum fiducia pro certissimis criteriis venditare aident, quibus instructus, abditos cujusque hominis affectus felici successu conjectare queas. Ecquod vero, sodes, necessarium

nugae (1), qui sapientem crederent neminem, nisi qui perturbationum prorsus expers, hoc est, homo marmo-

---

rium vinculum est inter alicujus pronunciationem, stylum, incessum, vultus colorem, inter capillos denique, pedes et manus cum ejusdem motibus internis? Hoc nihil obstante tam firmus est in sua arte Claramontius, ejusque dignissimi successores Cajus, Lucius et Sylvester, ut tibi certas conjectandi regulas praescribere nulli dubitent. I HALL.

(1) *Stoicorum nugae*) Nonnulli veterum Philosophorum omnes affectus malos adeoque tollendos contendebant, ἀπάθειαν statuentes, ut Stoici, vide Lipsium *manud. ad phil. Stoic. Lib. II. p.* 120 *seqq.* Quidam duriores Stoicorum voces *tollere*, *eradicare*, *carere* emolliendas esse censuerunt, ut in gratiam redeant cum reliquis philosophis, vid. Rappoltum *ad Horatium p.* 1224. Alii in alterum extremum prolabentes ἐμπάθειαν asseruerunt, quae Epicureis vulgo tribuitur sententia, quanquam constet aliunde, quae Epicuri mens de hac re fuerit. Temperandos esse affectus, reliqui existimabant Philosophi, Pythagorei, Platonici, et Peripatetici, conf. Buddei *Inst. Theol. moral. I*, 1, 6, 31 *p.* 303. Atque hic quoque error recentiorum quorundam Philosophorum, illorum praecipue, qui Cartesium sequuntur, debet subnotari, qui versantur in ea opinione, quasi omnes affectus sint indifferentes. CHAR.

Antisthenes apathiae autor fuit: Diogenes autem si non primus, illustrissimus tamen ejus sectae Martyr dicendus, et ipse Alexander M. Indiam aggressurus spe victoriae jam plenus, optasse fertur, ut Diogenes esset. *A dire vrai*, Autor hujus observatio-

moreus aut stipes fuerit. Quos imitati sunt quodammodo Aloysius Luisinus, Laelius Peregrinus (1), aliique



---

tionis pergit, *c'est un etat etrange que cette insensibilitè. Et il a toujours bien coutè cher à quiconque y est arrivè: Diogene y arriva: l'Antiquitè est trop formelle la dessus, pour y avoir ètè trompèe. Diogene dis je, parvint à cet etat de Philosophie, après avoir compris que pour vivre comme il falloit en ce monde; il falloit être insensible, il falloit opposer la nature aux coutumes, et entrant dans ses desseins se rendre semblable aux betes, pour être un veritable enfant de cette bonne mere.* En Stoicum sapientem, vel Cynicum potius: aut, si mavis, stultum potius histrionemque. Quemadmodum autem circumforaneum non facilius de impudentia sua conviceris, quam si coegeris eundem, ut unguentorum theriacorumque suorum experimentum in se ipso faciat; ita nec Stoicum nostrum melius de dolore conviceris, quam si vel minimum ejus digitum flammae candelae ardentis per aliquod tempus immiseris. Dolor hic non paucos ad abjurandos errores suos, immo ad aliud extremum, minus quidem absurdum, ast magis pudendum commovit. Vid. *Bayle* Dict. H. C. Art. Denis Heracleotes Rem. A. et Art. Pereira Rem. C. I. GALL.

(1) *Laelius Peregrinus*) Laelius Peregrinus, cujus liber *de noscendis et emendandis animi affectionibus* prodiit Romae CIↃDCVII, Vrsellis CIↃDCIII, Argentorati CIↃDCXIV, cum libris *Ethicorum* Abrahami Sculteri, et Lipsiae MDCCXIV cum Placcii *moralis studii succincta historia*, hanc affectuum doctrinam pro ratione illius temporis multum illustravit et ad vi-

que sexcenti, qui ad compescendas suffocandasque feras animi libidines durissimas leges proposuerunt. Et quis nescit nostris temporibus exstitisse plures, qui novam quandam artem exploratoriam (1) commenti, in-

---

vitae nsum accommodavit. Sed maxime abest a Scholasticorum nugis, nec leges, quas tradidit, adeo semper sunt durissimae. Char.

(1) *Artem exploratoriam*) Haec ars etiam dicitur *characteristica*, item σημειωτικη. Continet *signatum*, id est, intellectum et voluntatem, cujus vires, propensiones, affectus non solum, sed infimos quoque illorum gradus se noscere quidam sibi videntur, imo ex stilo de internis animis propensionibus judicare contendunt; et *ipsa signa*, quae dividunt in caussalia, et haec iterum in naturalia et moralia. Ad naturalia etiam pertinent physiognomica. En! ex naso, ejusque magnitudine, ex incessu, ex coma, ex barba, quum modo sit longa, modo crassior, modo suavior, ex manibus, ex oculis, ex colore cognoscunt interiores mentis propensiones; quae? qualis? quanta connexio? hac ratione ars characteristicha nullius esset negotii. Char.

Itaque Physiognomiae gnaros esse oportet, lineasque ac ductus oris diligenter annotare, qui homines intus et in cute nosse, eorumque adeo ingenio se attemperare rite velint. Sed non sola morum doctrina ea arte indiget; ipsa historia et antiquitates ab illa lumen quoddam mutuantur. Quam probe certe cum fide historica conspirent nummi, ex iconibus Principum in nummis repraesentatis, ipsi-

intimos mentis humanae recessus perreptarunt, et irae, avaritiae, cupiditatis nunc semiunciam, nunc assem deprehendisse sibi visi sunt. Nec Politici (1) dessent, qui cuncta ad



ipsisque adeo Physiognomiae regulis, non ineleganter docuit Sponius in Miscell. cur. Antiq. (*Recherches curieuses d' Antiquité*) Dissertatione XXIV. VAND.

(1) *Nec Politici*) Fraudes Politicorum sunt multi generis, quo pertinet *Pacifici a Lapide homo politicus*, hoc est, consiliarius novus, officiarius et aulicus, secundum hodiernam praxin, Cosmopoli 1665 4 plag. 7. Auctor pestilentissimos Pseudo-politicorum artes protulit, minime vero animi sui sensa. Vide Placcium *in Pseudon.* n. 1977, et Heumannum *in Schediasmat. p.* 95. Becanus *lib. V manualis controversiarum*, egit de controversiis Politicorum, quas ita describit: *qui pluris faciunt politiam, quam fidem Christi*. Adjungi potest *Stapletoni* oratio: an Politici horum temporum sint in numero Christianorum habendi? CHAR.

Politica Christianismum certa ratione spectatum non destruit, nec vice versa, hic illam, sed amico consensu junguntur. Hinc illustris quidam Eccl. Gall. Episcopus librum edidit, evicturus, inveniri in S. Literis omnes boni Regiminis regulas. Quod si vero alio sensu accipias vocabula Politici et Christiani, de altero affirmantur, quae de altero negantur. Unde Praesul quidam Germanus pro concione eos salvari posse negabat, qui ad Politicae regulas vitam componant; prorsus ita cum *Stapleto-*

Reipublicae Platonicae (1), quam nuspiam, nisi forte in Utopia invenerint, formam metientes, beatitu-
di-

nio in not. praec. consentiens. Notandum autem est, eundem Praesulem, qui, quamdiu non nisi simpliciter *P. Emericus* audiebat, his regulis adeo infensus fuerat; iisdem ipsum usum esse, postquam eorum locum occupasset, quibus supplantandis operam dederat. *Vid. Preface de Mr. Amelot pour le Princ. Machiavel.* Vide, quo pacto Empirici contra Medicinam, vel Medici contra Empiricam declamant. Hoc sensu vocabula Christianismi et Politicae capiens Cosmus de Medicis dixisse fertur: *Status publici non tenent Pater noster*. Addere possumus, secundum Machiavellum, etsi Principem deceat esse quam maxime Charlatanum, quantum ad sacras ceremonias., aliter tamen eum instituendum, quoad consilia politica (*coups d'Etat*.) Corona dignus est Princeps, qui in ipso victoriarum cursu colligit, quae in via strata reperit *Pater noster*. Ut tandem finiamus prolixam hanc animadversionem, cum Platone et Xenophonte existimamus, licere Principi Charlatanum agere et boni publici causa mentiri, idque tanto magis, quod, teste *Valerio Maximo* Libro VII Cap. 3, *est factorum dictorumque genus a sapientia proximo deflexu ad vafri nomen progressum: quod, nisi fallacia vires assumpserit, fidem propositi non invenit, laudemque occulto magis tramite, quam aperta via petit*. Sed mittamus has observationes, quas maleferiati ad Societatem Missisippicam aliasque applicare possent. I. GALL.

(1) *Ad Reipublicae Platonicae formam*) Respublicas tales ideales finxerunt Autor *des Staats des Königr. Ophir*

dinem nobis, qualem vel Dii invideant, perfectissimam pollicentur. Sed properandum est ad alias disciplinas.

Succedant itaque Mathematicae (1), quae Gravina Orat. I p. 126.

P 4

---

*Ophir*, Jacobus Harringtonius in *Oceana* Londini 1700 fol. edita, Baco Verulamius *Novam Atlantidem* emittendo, et alii, de quibus doctissimus Polyhistor J. A. Fabricius in *Bibliographia Antiquar.* *XIV*, 16 *p.* 490. SCRIB.

(1) *Mathematicae* ) Ut usum Matheseos eximium facile agnoscimus, ita non dissimulamus, inter eos, qui in circulo occupantur, multos quoque circulatores deprehendi, qui sua inventa paulo nimis jactitant. Nihil enim hos magis purgit, quam si gloriam inventionis sibi ab aliis praereptam vident; at quanta gaudia, quum problema intra temporis, quod is, qui dedit, praefixerat, spatium solverint. Atque hic omnes animi vires intendunt, ut nomen consequantur. Quae ambitio movit haud dubie Georgium Ioachimum Rheticum, ut de Martis motu assequendo desperans, malum genium invocaverit, qui eum capillitio arreptum capite ad imminens laquear allisisse, rursusque ad pavimentum deturbans amarulenter irrisisse fertur, additis verbis: *hic est motus Martis*; quamvis Keplerus in Epistola dedicatoria ad Comment. Martis, putet illum conturbato e perplexitate rei spiritu furibundum de sella se prorupisse caputque allisisse ad parietem. VAND.

Thuanus et Teisserius referunt eum catarrho; quem in cubiculo recenter dealbato contraxerat; Morerius autem apoplexia exstinctum perhibet I. GALL.

Ete-

quae mentes ordine certo a certis quoque ducunt simplicibusque principiis, unde obscura diluuntur, dissolutaque componuntur, et composita in suas dirimuntur partes; ut hac recta disserendi consuetudine mens assuescat semper insistere ipsis rebus, atque ita omnis cogitatio, seriesque omnis argumentorum progrediatur a veris, et mens exuat sibi sensim, quod e vulgari judicio teme-

Etenim Mathematici eo audentius reliquis mortalium imponunt, quo pauciores sunt profundioris Matheseos ita gnari, ut probrosas Circulatorum myriotechnas aggredi, larvaque, sub qua securus latet impostor, detracta, Eruditorum sibilis eundem exponere audeant. Quotus quaeso annus elabitur, in quo non repentinus aliquis Archimedes εὕρηκα canat, corvosque hiantes sive *Quadratura circuli* recens inventa, sive *latitudine Maris* exactissimo calculo emensa, sive expetito tot seculorum votis *Perpetuo Mobili* exstructo deludere praesumat. Imo vero, si quandoque genuinus albae gallinae filius insigne quid praestitit, mirum est, ut ex quovis statim angulo prosiliat *novus Rhombodidascalidifaciarius*, qui quasi stipendio conductus quosvis optimi hominis conatus arrodere, extenuare, et quantum quidem in ipso est penitus evertere allaborat. Verum; *Crabrones ne temere*! Them.

Digitized by Google

mere ac stulte conceperat, neque deinceps admittat, nisi quod ordine illo expensum fuerit et exploratum. Etsi vero tantum omnino utilitatis habeant illa studia, ut eleganter diduxit ornatissimus Gravina, insunt tamen et plurima, quae *nec ignoranti nocent, nec scientem juvant*. Lactant. Ep. 45 Lib. 6. Longum foret, per singulas Matheseos partes ire (1), in quibus me fa-

(1) *Longum foret per singulas Matheseos partes ire*) Neque tamen temperare nobis possumus, quin mentionem hic iniiciamus Optici cujusdam jactabundi, *Cornelii van Drebbel*, qui in Epistola *ad Isebrandum a RietWick* ita loquitur: *Ego, inquit, in camera manifeste sedeo solus, nemine mihi adsistente. Et primo vestitum meum transformo in praesentia et adspectu illorum omnium, qui in cubiculo sunt. Nunc induor totus nigro holoserico, et momenti spatio, imo tam confestim, quam aliquis cogitatione assequi possit, holoserico viridi ac rubro amictus sum, in colores omnes mundi me transmutans. Nec solum hoc, sed commuto meam vestem cum qualibet specie pannorum, qua ipsemet volo; nunc bombycina seu sericea colorum omnium, tum ex villis texta omnium colorum: nunc argento, nunc auro variegatis vestibus utor: nunc regis ornatu, et adamante ac omni gemmarum specie sum spendidus, at in momento postea mendici habitum assumo, pannis obsitus ac deformis: cum in illo actu unicam duntaxat vestem habeam, quam abs me non depono. Praeterea conver-*

fateor mediocriter esse versatum; Arithmeticos tantum et Astrologos tangam. Atque illi quidem nihil tam immensum putant ac nullo limite circumscriptum, cujus numerum inire posse desperent; itaque et coeli stellas et calculos omnes ad littora maris (1), nescio an non et atomos ac ipsas

---

*verto memet in arborem naturalem, contra quam aliter aliquis animadvertere queat, folia hinc inde mutantem quasi vento agitaretur. Nec solum in formam arboris, sed in omnia genera arborum, prout mihi placuerit. Postea formam mutuor cujuslibet rei creatae, quamcunque cupio, ut jam muter in Leonem, jam in Equum, jam in Ursum, in Vaccam, in Ovem, in Vitulam, in Porcum etc. Et praeter haec apparere facio, quasi terra aperiretur; et spiritus ex ea provenirent; primum in forma nubis, et postea se vertentes in aliam speciem, quam illis impero, et uti quaeque mihi bona videntur, ut in personam Alexandri M. vel alterius Principis, aut Regis, pro arbitratu meo. Quin et hoc exhibeo, ut Gigantes veteri aevo cogniti ex terra prodire videantur, viginti ac triginta pedum longitudinem exaequantes, qui tam miris modis ac ea perfectitudine corporis sui membra librent ac moveant, quasi naturaliter viventes. Atque haec omnia in medium produco nova invertione, quam beneficio Opticae excogitavi, cujus vi res mirabiles ac pulcherrimae praestari possunt, quas longum hic memorare foret.* V. Epist. a Colomesio Clementinis additas. TRIVULT.

(1) *Ad littora maris*) Qua ratione Archimedes coram

ipſas exhalationum particulas, per analyſin infinitorum (1) exactiſſime computant, et ad ſacra converſi (2) ipſum

ram Gelone Rege Siciliae arenarum numerum ſyllogiſtice voluerit inferre, e Clavii *Sphaerae c.* 1 Weberus oſtendit, in *Arte diſcurrendi p.* 13. Scrib.

(1) *Analyſin infinitorum*) Non ignoravit forte Autor, quantum hic Leibnitius et Newtonus, magna lumina, praeſtiterint; ſed Wyerum Guilielmum Muys videtur arguere, qui quantitates infinite parvas, ſeu infiniteſimas pro veris entibus habuit, eoque docuit, extenſum magnitudinis finitae non modo ſecundum unamquamque dimenſionem in infinitum, ſed in infinities infinitum, immo in infinities infinities infinitum, et ſic porro ſine fine diviſibile eſſe, eademque ratione augmentabilitatem extenſi non modo in infinitum, ſed infinities infinitum ſine fine admittit. Qua in re falli Virum eruditum, in *Actis Erud. Lipſienſibus A.* 1711 *p.* 394, 395 demonſtratum eſt. Neque minus huc ſpectare videtur Guido Grandus, qui unus nunc inter Mathematicos Italiae triumphat, cum eandem lineam infinities poſitam et infinities ſubtractam relinquere ſui medietatem, atque adeo nullitates infinitas aggregare quantitatem, ſtatuit, quod quantum repugnet ſanae Geometriae legibus, patet ex iiſdem *Actis A.* 1715 *p.* 42 *ſeq.* Idem fervide ſatis defendit, dari ſpatia pluſquam infinita, quae Walliſius per praecipitantiam ſtatuerat, et ideo inſultavit Varignonio, qui errorem correxerat, approbante Ill. Leibnitio. Vid. *Acta Erud. A.* 1714. Vand.

(2) *Ad ſacra converſi*) Parum plerumque feliciter in re ſacra verſantur Mathematici. Et quamvis

Mer-

ipſum flagellorum, quibus laceratus
Nau. l. c. p. 7. est ſanctiſſimus Salvator, numerum deſignant, et in corona ſpinea mille acu-

Merſennus, Leibnitius, Bernardus et pauci alii de religione Chriſtiana immortaliter meriti ſint, plures tamen, quum cogitationibus ſuis ea, quae ſunt a ſenſibus remotiſſima, aſſequi ſe poſſe intelligunt, divini Numinis omnipotentiam et attributa alia mirari deſinunt, ut taceam, eos, qui Apocalypſin ſuppoſuere calculo ſuo, mera ſomnia dediſſe et redactos aliquando fuiſſe ad inſaniam. VAND.

Johannes Craig, Mathematicus Scotus, *Theologiae Chriſtianae Principia Mathematica* edidit Lond. 1699, 4. In eo libro de viribus et diminutione probabilitatis agit. Omne *teſtimonium humanum*, ſive ex inſpiratione proveniat, ſive minus, probabile dicit. Supponit, hanc probabilitatem hoc magis decreſcere, quo magis proceditur ab eo tempore, quo teſtes illi vixerunt. Itaque adhibito calculo Algebraico, repe- riſſe ſe praetendit, quod Religio Chriſtiana poſſit adhuc durare 1454 annos, iis abſolutis eam cum ipſa probabilitate nullam futuram. Credit autem, paulo ante eum terminum Chriſtum venturum ad judicium, ut *eclipſin* illam praeveniat, et quae ſunt alia otioſi ingenii deliramenta. Vid. Baelii *Epiſt.* 176 *pag.* 670 *ſeqq.* CHAR.

Bodinus, qui durationem rerum ſe calculo inveſtigaſſe affirmat, bene cavet, ne Religioni vim inferat; ſapientior hac in re Scoto illo, cujus in Obſ. praec. mentio injecta eſt, cum non niſi ad Imperium mutationes calculum ſuum extendat, *Toutesfois*, inquit lib. IV C. 2 de Rep. et p. 561 uſque ad finem Cap. *c' eſt bien choſe merveilleuſe de la Sageſſe de*

aculeos numerant, atque ipsius sacrosanctae Trinitatis mysteria rimati, eam ex numeri ternarii ratione sollicite explicant; tum et novam de Nihilo doctrinam longe, si Diis placet, utilissimam construunt, et nunc cum Demonsio *de quarta parte nihili* argute philosophantur, nunc Bouvellio *de plusquam nihilo* vasta volumina conscribunt. Praeterea de Sole ac Luna et stellis omnibus veluti de patrimonio suo liberrime transigunt. Nam ex quo Hevelius Lunam

Id. p. 14. p. 15.

Selenogr. p. 226.

---

*de Dieu qui a tellement disposè toutes choses par nombre que les Republiques mêmes apres certaines années prennent ordinairement fin: comme il est besoin de montrer, ce que personne n'a ſait par ci-devant - - Je mettrais seulement six ou sept nombres entre dix mil, aux quells le plus souvent avoient changement aux Republiques, c'est à savoir, les Nombres quarrez et solides de sept et neuf, et ceux qui sont engendrez de la multiplication de ces deux Nombres et le Nombre parſait de* 496. Paullo antea allegaverat monitum Platonis circa Rerumpublicarum mutationes, refutaveratque Germanum quendam *Foresterium*, qui pessime id interpretatus erat. Qui hunc Bodini locum consulturi sunt, invenient ibidem jucunda quam plurima de numero nuptiali, de Harmonia et Potestate Musices, etc. I. GALL.

nam accurate dimensus (1), perelegantes nobis dedit tabulas Geographicas Lunares, montesque et sylvas, lacus et flumina detexit; id sibi reliquum putavit Ricciolus, ut novum hunc Orbem in certas provincias distribueret, et unam Copernico, alteram Galilaeo, tertiam Keplero assignavit, sibi ipsi vero tractum optimum ac maxime conspicuum animo nequaquam novercante vindicavit. Isti nimirum sunt, qui non modo Pomum Imperiale, Sceptrum Brandeburgicum, Enses Saxonicos et insignia alia pro suo in Principes affectu coelo inferunt et astris appendunt, verum et apotheoseos jura sibi sumunt, ac nova consecrandi ratione, quoscunque velint, sive vivos, sive mortuos, inter side-

In Almag. 104.

(1) *Hevelius Lunam dimensus* ) Lunae incolas tribuit Hoel Anglus, in *Epistolis* vernacula lingua scriptis, *Volum. II ep.* 9 *p.* 409: at Luna ipsa indigna multa de se confingi et proponi queritur ad Menippum apud Lucian. *T. I Opp. pag.* 701. Scrib.

dera collocant (1); cujus quidem assentationis luculentissima afferri possent exempla, nisi parcendum esset nominibus. Praecipue vero hoc loco de iis dicendum esset, qui rerum mortalium omnium eventus ex astris portentosa ratione derivantes (2), ut lu-

(1) *Vivos inter sidera collocant*) G. K. stellae nebulosae, a se detectae, imponebat nomen *Ile*, amici sui, qui et ipse inter stellas magis, quam inter homines habitabat. Vand.

Vetus id fuit Astrologis Jus, ut Sidera animarent facillime; praesertim si Astrologiam Poetis comitaretur. Quod quidem ex Callimacho apparet, qui ex Berenices coma constellationem per celebrem, magis fortasse apud Philologos, quam Astronomos, effinxit. Ita saepius Apotheosi datus locus, quo Heroum meritis Gentes perpetuo plauderent, virtusque adversus temporis invidiam staret immota. Chrysol.

(2) *Ratione derivantes*) Quam periculosum sit astra, futuri nuntios, consulere, suo nos Cardanus exemplo docere potest: qui, quod se annum aetatis *septuagesimum quintum* non superaturum ex natalitio Themate praedixisset, inedia perire, quam fallere voluit. Longum foret tot Astrologorum praestigias recensere, longius easdem refutare; sed gaudeant brevitate moderni, indeque nihil addo, praeter ludicrum distichon, quo Latomus jocatus est apud Jovium in Joh. Manardum, Uladislai Regis Ung. Proto-Medicum, qui decrepitus senex ex intemperantis

vilucellum captent, quod volunt, vitam, salutem, honores; opes, potentiam, victoriam, sanitatem, sobolem, amicos, conjugia, magistratus et similia praedicunt (1), et ab iis dracmam petunt, quibus regna pollicentur. Verum de praestigiatoribus istis (2), qui eo audaciae processere, ut ipsius

tis Veneris usu sibi mortem acceleravit, quamvis, nescio quis Circulator astrosophus severe hortatus esset bonum Virum, ut sedulo sibi a fovea caveret lapsuque: hinc Poeta:

*In fovea qui te periturum dixit Aruspex,*
*Non est mentitus; Conjugis illa fuit.*

THEM.

(1) *Praedicunt*) Hi sunt, quos Tacitus genus hominum appellat *potentibus infidum*, *sperantibus fallax*. CHYSOL.

(2) *De Praestigiatoribus istis*) Utique Mathematicos imprimis technis uti convenit, si Auditores velint allicere. Nimirum exspatiandum in campos, fossae ducendae, fortalitia excitanda, oppugnationes instituendae, tentandi insultus, per lusum quidem omnia et jocum. Haec si neglexeris, raros invenies Auditores vel nullos; cuncti te hominem morosum exclamabunt, qui in re nullius ponderis vel usus sollicite nimis labores. Dici hic posset de Erhardo Weigelio, qui Mechanicis inventis corvos hiantes deludebat, prudentiorum vero provocabat satyras. Ejus ligneos equos cursorios D. Becherus ridet *in der närrischen Weisheit*, inventa alia alii. Ridicula impri-

ipsius Christi horoscopum (1) construerent, et virtutes ejus ac miracula ex eo repeterent, quod Saturnum habuerit in Geminis, mortemque ipsam (2)

Q hu-

primis fuit ejus puerorum institutio, quos petauro (*Schaukel*, *Knebel*) hinc inde agitatos, et lanceis instructos, literas alphabeti e sacharo efformatas petere jubebat, simulque singulari adhibita admodulatione (nam literas alphabeti singulas ut conjugationes et declinationes notis musicis adornaverat) quam petere vellent, literam intonare, quam si lancea sustulissent, comedebant, ut ita plane in succum et sanguinem converterent. Accidit autem sinistro fato, ut discipulus non immorigerus, idemque unicus e familia nobili haeres, petauro non satis obfirmato, e fenestra decideret ac misere vitam finiret. Idem Weigelius in Philosopia Mathematica multa obscura vocabula effinxit, ut maxime vulgaria tanquam singularia et sublimia proponere posset. Neque tamen Hugenium probo, qui in suo exemplari Actorum Eruditorum recensioni libri hujus haec verba adjecit: *Novi et conveni hunc Virum; erat senex nugivendulus et Mathematum imperitus*. VAND.

(1) *Ipsius Christi horoscopum*) Fecit istud etiam Tiberius Russilianus Sextus; vid. Naudaeus in *Judicio de Augustino Nipho*: et Paulus Jovius Lutheri haeresin, ut vocat, ab occulta coeli potestate et maligno siderum concursu vult provenisse. *Histori-ar. L. XIII. pag.* 239. SCRIB.

(2) *Mortemque ipsam*) Notum est Cardanum Christi genesin construxisse, quam cum defendendam suscepisset Jo Bapt. Morinus in Astrologia Gallica, eam vel hanc ob causam ipsi Christo inscripsit. M.

Dua-

humano generi tam Salutarem Martis opus fuisse fabularentur, malo vos, Auditores, e Jo. Pico Mirandula, Henrico Cornelio Agrippa, atque aliis, quorum plena sunt de his volumina, accuratius cognoscere.

Libr. XII adversus Astrologos. De Van. sc. Cap. 31 seq.

Nec magis morabor Physicos, quorum aliqui nihil omnino in rebus, quae sub Sole sunt, inacessum, nihil impervium putant (1), adeo ut non mo-

Duabus epistolis dedicatoriis hic liber instructus est, altera nimirum ad Serv. Nostrum ab autore confecta, altera ad Hungariae Reginam ab anonymo conscripta, utpote quae sumtus huic libro imprimendo suppeditaverat. *vid. Bael. Dict. Art. Morin.* Naudaeus quatuor Autores indicat, qui dudum ante Cardani tempora de Horoscopo Jesu Christi erigendo cogitarunt. Unde concludit. Thuanum Scaligerumque immerito Cardanum infamia inventionis notasse. Posito autem, ab obscuris quibusdam hominibus rem adeo impiam excogitatam esse, num propterea illum absolvere licebit, qui ex tenebris protractam, omnibus in universum ob oculos ponit? Immo hoc magis notandus, quod instaurator veteris inventionis antecessorum suorum nullam prorsus mentionem injecerit. *Vid. Bael. dict. Art. Card. remarque* P. I. Gall.

(1) *Nihil impervium putant*) Quemadmodum Mathematici mirum in modum se torserunt hactenus, ut quadraturam circuli, gradus longitudinis et lineam hy-

modo in his, quae ante oculos poſita ſunt, ad inſaniam usque ſcrupuloſi ſint, verum et

*tentare cavas uteri et terebrare latebras*

aſſueti, in ipſum terrae centrum deſcendant, ignisque ſubterranei vires causticas explorent, imo et ipſum tentent primum mundi chaos, ac praeterea in Luna homines, daemonesque et gehennam quaerant in So-

 le

hyperbolen in ſpeculo caustico invenirent, fruſtra quidem hactenus, ita Phyſici operam fere incredibilem in eo poſuere, ut virtutem molliendi vitra, liquorem Alcaheſt, lumen aeternum, lapidem Philoſophorum et Mobile perpetuum detegerent. Motum perpetuum artificialem ita inventu difficilem, imo impoſſibilem judicant Itali, ut qui eum quaerere tentet, *Matto perpetuo* appellant, ut teſtatur D. Becher *in dernarriſchen Weisheit* p. 160., qui & refert p. 162., Hartmannum quendam Lipſienſem, de inveniendo motu perpetuo demum deſperantem, ipſum e triangulo infauſto motum perpetuum in litera longa Eraſmi, ut loquitur, factum eſſe. VAND.

Litera haec longa, τo φι Grecorum indicat. Conferatur *Art. XXVIII. du Pere Rapin Reflex. ſur la Philoſoph.* ubi plura exempla invenias eorum, qui infelici exitu ſtudia tentarunt. I. GALL.

le (1). Tum nemo est in his rebus paulo nasutior, qui non nova sibi fingat rerum naturalium principia, quibus tanquam firmissimo fundamento Systema Philosophiae naturalis integrum superstruat, tam parum saepe sibi constans, ut vix exstructum dementiam prodat Architecti, et ed levissimum venti sufflatum corruat (2). Ita Thales Milesius, primus sapiens ab oraculo judicatus, ex aqua omnia constare voluit: ejus auditor et in schola successor Anaximander rerum principia dixit infini-

Agrip. l. c. C. 50.

(1) *Quaerant in Sole* ) Infernales tenebras, quae nemini hactenus mortalium viventi patuere, in Sole lucidissimo deprehendisse sibi nuper visus est oculatissimus Anglus Anonimus, de quo vid *Acta Erud. Anni* 1715 *Mens. Mart. p.* 107 *sq.* M.

(2) *Sufflatum corruat* ) Equidem non dubito quin, vera sint quae putavit olim Socrates contra Physicos, qui rerum naturalium scientiam profitebantur: Deus est, inquiebat, qui hanc rerum compagem creavit, instruxit, eamque moderatur: quis itaque tuto sibi queat fidere, rerumque naturalium affectare scientiam, quae uni earum auctori innotescere debet? Confer Apolog. Platonis de morte Socratis. CHRYSOL.

finita ; illius autem discipulus Anaximenes infinitum aerem esse rerum principium adstruit . Hipparchus , Heraclitus Ephesius, Archelaus Atheniensis ignem, Anaxagoras Clazomenus infinita principia tanquam particulas minutas et confusas, sed divina mente in ordinem postea redactas , Parmenides calidum et frigidum , tanquam ignem qui moveat , et terram quae formet, Leucippus, Diodorus et Democritus plenum et vacuum , Diogenes Libertus aerem , divinae tamen rationis compotem , Pythagoras numeros, Empedocles litem et amicitiam ac quatuor elementa , Epicurus atomos et inane, Plato ac Socrates Deum , ideas , materiam et elementa , Aristoteles materiam , formam et privationem , et Hebraeorum Philosophi materiam , formam et spiritum, pro primis rerum principiis venditant . Nec major recentiorum consensus est, quos inter Lincolniensis radios , Reuchlinus Cabalam , Campanella calorem , frigus et spatium , Verulamius instantias , Naudé l. c. p. 1008

Chymici denique sal, sulphur et mercurium substituunt; ut taceam centum alios, quorum deliria si repetam (1), vereor ne et aures vestras obtundam, Auditores, et crabrones irritem. Quid alias memorem Physi-
Id. p. 16. corum sententias, ut Sanctorii, qui transpirationis insensibilis quantitatem exactissime ponderabat; Fusilii, qui Jul. Caes. Vaninum in medio rogo constitutum fumo potius suffocatum quam igne absumptum affirmabat, quoniam, ut loquitur, in *Mastigophoro*, ignis multo magis frigidus est, quam calidus; Suisseti, qui

(1) *Deliria si repetam*) Possent haec inter referri etiam, quae veteres Scholastici in Physica sua disputarunt de appetitu materiae, de ipsius potentionabilitate, subiicibilitate, transmutabilitate, componibilitate, resolubilitate, aptitudinabilitate, de praedicatis essentialibus caussae, de praedicato prioritatis debito caussae, de praedicato indistantiae debito caussis, de praeexistentia formarum in materia, de distinctione actionis creativae a re creata, de compositione continui successivi. Legi possunt Jesuitae *Thomae Mlodzianowsky* praelectiones, in octo libros phisicorum Aristotelis, Lesnae anno MDCLXXI. fol. Char.

qui tanta subtilitate res naturales explicavit, ut ipse Cardanus, subtilitatis autor, fateretur, *in ejus unico argumento, quod contra experimentum de ratione est, solvendo, totam poſteritatem laboraſſe* (1). Quibus nescio an non accenseri possint Aristotelici, qui suas qualitates occultas tantopere jactitant, Cartesiani, qui bruta animantia sensu prorsus carere, et automati in modum (2) agere so- Lib. 16 de Subtil.



(1) *Totam poſteritatem laborasse.*) En duplicem Cardani Charlataneriam. Gloriatur de re sibi nunquam intellecta, immo ipsi Autori, unde eam hausit, ignota. Librum porro allegat, nec lectum, nec visum a se, uti videtur; quia autoris nomen mutat et corrumpit. Quippe, quem Cardanus *Joannem* appellat, is *Richardus Raymundus Suiseth* nominatur, qui ex doctissimis sui temporis Angliae Doctoribus ſuit. Liber ejus Venetiis 1620 prodiit, et admodum rarus est. Tanta autem ejus obscuritas est, ut eo scopo scriptus esse videtur, ne a quoquam intelligeretur. *vid. Card. de Incert. Scient. Cap. XVIII.* I. Gall.

(2) *Automati in modum*) Memini me inter literas Dn. d'Her, quae sunt inter opera Dni *de Fontenelle*, elegans epistolium legisse, in quo satyrici ingenii mulier familiarem suum, Cartesianae Philosophiae addictum, lepidissime exagitat. Illa percepisse se scri-

somniant (1), ac nostro tempore Angli quidam, qui in rebus omnibus *vim* quandam *attractricem* deprehen-

scribit, eundem Cartesii asseclam factum esse, sicque nullum apud se dubium restare, quin ipse quoque animalia bruta pro meris machinis artificiosis habiturus sit, quae sensione et perceptione destitutae, velut alia automata per internam partium structuram moveant se et moveantur. Verum ne hujus asserti experimentum desit, rogare se, ut binas ejusmodi affabre factas machinas, canem e. c. marem et foemellam per aliquod tempus committere velit, brevi numerum suum duplicaturas, atque tertiam quartamque et quintam sibimetipsis simillimas machinas producturas. Ex quo (pergit illa) colligat, simplicesne machinae credenda sint bruta, aut pro meris automatibus habenda? Ego quidem lubens concedam foeminae argutissimae, multum in hoc passu brutis animalibus cum hominibus convenire. I. Hall.

(1) *Somniant*) Jam vero nullus hodie dubitat, quin Cartesius somniarit bruta animantia esse automata: at non id sibi cuique persuasum est ex levibus illis experimentis, quae faemellam instruisse refert interpres Hallensis. Rationibus potius ex Philosophiae penu depromptis id conficitur, Bruta puras putasque machinas esse non posse. Quidni homines erunt automata, si fieri unquam possit, ut Bruta nullo spiritu regantur, qui alius a corpore eorum sit? Ne itaque Materialismo amplior via pateat, Cartesium vere somniasse cnntendendum est. At nonne ad Epicureismum tendunt, qui animam Brutis tribunt animantibus? Minime vero. Potest enim fieri; ut Brutorum anima sit spiritualis et incorporea, nec por-

hendisse sibi visi sunt. Et *quae beatitudo erit mihi proposita*, ut cum Lactantio loquar, *si scivero, unde Nilus oriatur, vel quicquid Physici de coelo delirant?* Ceterum non esset forte ab hoc loco alienum de iis nonnihil commentari, qui ad exemplum Midae, cuncta quae contrectant, in aurum converti (1) posse sperant, et bona dilapidant omnia pro lapide, nisi haec constaret ab aliis jam pridem occupata et explosa.

Cap. 8. Lib. 3 divin. instit.

Qua-

porro immortalis; vel immortalis etiam, at in immortalitate nullo fruens statu, ac in perpetuo, ut ajunt, somno sepulta. Ecquid autem haec conjicimus? Morti eorum animae obnoxiae certe non sunt: quid autem de illis fiat post obitum, eorum constet auctori; nihil enim ad nos. CHRYSOL.

(1) *In aurum converti*) Alchymistarum artes nemo magis graphice descripsit autore libri rhythmici vernaculi, sub tit. *Froschmaeusler* editi, qui in dedicatione praemissa vocatur *Marcus Hupfinsholz von Meusebach, der jungen Froesch Vorsinger und Calmeuser im alten MaeschenWitzk*. Ceterum de iis forte hic etiam agi potuisset, qui de præsagiis, quae ex Cometis, Eclipsibus etc. petuntur, de magis item, sagis, spectris et id generis aliis parum apte, quod Physica ignorarent, egerunt. CHAR.

Quamobrem ad Medicos, qua proxima via est, transeo, quibus hoc charlataneriae vitium adeo familiare et veluti proprium est, ut difficulter admodum distinxeris Empiricos (1) a probis et doctis Medicis. Etenim non ignoramus, optimos quosque e filiis Æsculapii ingenue fateri, admodum instabilem, fallacem et lubricam esse hanc artem, cum et morborum causae sint incertissimae, et expeditissima remedia non raro spem Medici fallant. Adeo ut idem de

(1) *Difficulter distinxeris Empiricos* ) Si exemplum Empirici seu Agyrtæ desideres, dabit id Gargilius Mamurra, seu Petrus de Montmaur, Graecae linguae Parisiis quondam Professor, de quo lege Menagium in ejus Vita, qui ita inquit: *Mamurra, qui Aristotelem pharmaca vendidisse acceperat, nec erat nescius, ut quisque inter Agyrtas loquendo pollet, Medicinae licet imperitum, maximi illico fieri, cum circulatoriam quandam volubilitatem haberet, Avenione* περιοδευτικὴν *coepit profiteri: ubi pharmacum quoddam, quod panchymagogum vocabat, venditando, quaestus fecit uberrimos*:

Πολλας δ' ιφθιμυς ψυχας αιδι προιαψεν.

Vide *Hist. de Montmaur par* Sallengre *T. I. p.* 52. *seq.* Vand.

de Medicis dici possit, quod de Haruspicibus Cato quondam pronuntiavit, scilicet *mirari se, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset*. Nulla certe iis formula solemnior praeter illam: Cic. Lib. I de Nat. Deor.

*Si vis sanari de morbo nescio quali,*
*Accipias herbam, sed quam vel nescio qualem,*
*Ponas nescio quo, sanabere nescio quando.*

Nam cum omnia profundissime (1) nesciant, suas tamen pillulas, syrupos, guttulas, et nescio quae alia arcana, ceu panaceas, cunctis propinant tanta impudentia, ut vel mortuos

tuos

(1) *Nam cum omnia profundissime* ) De his Grimaret in Vita Molerii ita scribit: *On m' a assurè, que Moliere definissoit un Medecin un homme que l' on paye pour conder de farebotes dans la chambre d' un malade, jusqu' à ce que la nature l' ait gueri, ou que les remedes l' ajent tuè*. v. la Vie de Moliere p. 15. Notum est illud Medici cujusdam Itali de quodam suo ductu juxta regulas artis mortuo effatum: *è morto canonicamente, e con tutti gli ordini*, ut citatur in libro Anonymi: Germania milite destituta. Vid. *Collectio librorum rariorum fascicul. II. p.* 314. SCRIB.

tuos in vitam se revocaturos polliceantur. Interim pro immensa, qua valent, potestate impune occidunt, felices utique dicendi, quod prosperos ipsorum successus Sol adspiciat et illustret, adversos autem terra contegat (1). Exemplum luculentum prae-

(1) *Terra contegat.*) De his vere *Mantuanus Ecl.VI.*

*His etsi tenebras palpant, est facta potestas*
*Excruciandi aegros, hominesque impune necandi.*

Namque

*Nuper erat Medicus, nunc est Vespillo Diaulus,*
*Coepit, quod potuit Clinicus esse modo.*

sive ut alii.

*Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.*

Satis id intellexit Petrarcha, non vulgaris Medicae gentis adversarius, quando ad verba, *Ars longa, vita brevis*, quibus Aphorismos suos auspicatur Hippocrates, ita commentatus est: *Hi vero* (Medici) *vitam dum brevem dixerunt, brevissimam effecerunt.* Neque dissentit Menagius T. I. Menagian. p. 294. sic disserens: *Seneque disoit autrefois de la multitude des Livres*: Distrahit animum librorum multitudo, onerat discentem turba, non instruit; *la quantitè en est plus onereuse q' utile. Il est bien plus vrai de de dire de la qualitè des Medecins*, onerat aegrotum turba, non solatur: idemque pag. antecedenti se ipsum ceu exemplum allegat his plane verbis: *Je devrois être immortel, car les Charlatans et les Medecins n' ont pû venir à bout de me faire mourir. J' ai eu jusq' à treize Medicins de la Facultè à la*

praebet Andreas Baccius, Medicus Florentinus, artis suae probe gnarus, sed cerebrosus, qui ad foeminae cujusdam curam vocatus, explorato arteriae pulsu, qui vehementis febris indicium faciebat, inter alia tandem de aetate rogavit: cumque illa sexaginta tres (1) annos se natam

C. Ens Epid. p. 343.

*la fois. Ils m' avoient condamné à ne point étudier & à ne jamais écrire, disant que ce seroit le moïen de me faire mourir plûtôt. Depuis que je n' ai plus eu besoin d' eux, j' ai plus étudié et plus fait imprimer qu' auparavat.* Caute igitur Princeps aegrotus ad Medicastrum summam artis suae peritiam jactantem: *non ego alium recipio Medicum, nisi qui triginta homines occiderit*; cui Medicus: *Parum abest, nunc enim jamjam omnino XXIX. contumulari feci.* Ad quod iterum Princeps: *Tu igitur mihi quidem idoneus non es, cum timendum sit, ne ego numerum completurus trigesimus fiam.* THEM.

(1) *Sexaginta tres) Tous les anciens ont remarqué que le Nombre soixante-trois, qui est multiplie de sept par neuf, et de neuf par sept, tire apres soi ordinairement la fin de vieillards, et même l' Empereur Auguste escrivant à ses amis, Prenons, dit il courage, puisque j' ai echapé le soixante & troisième an*; ita Bodin *Republ. Livr. IV. Chap. II.* Hic annus per excellentiam *Climactericus* appellatur, observatum etiam est Eruditis: eum praecipue fatalem fuisse: *et il semble que cela etoit signifié per les Anciens, qui avoient consacré*

tam diceret, rejecto aegrae brachio, quam diu, inquit, tu in hoc mundo superesse cupis? et irato similis (1) protinus discessit (2). Porro cum

*sacrè sept à Apollon et neuf aux Muses*, vid. *loc. cit.* Si rationem rei inquiras, idem respondebo, quod Plutarchus, qui post multas rationes philosophicas, quibus certo cuidam problemati satisfacere conatus fuerat, tandem: *Fortasse*, inquit, *hoc propterea ita fieri solet, quia verum non est*. vid. Baelius *Pensèes diverses* §. XLIX. I. Gall.

(1) *Irato similis etc.*) Mihi artis suae non multo peritior fuisse videtur, quam alter ille, qui cum aegro de certa pecuniae summa pro pellenda febri tertiana pactus erat. Verum cum illi haec brevi post in semitertianam degeneraret, parentes decumbentis Medicastrum ulterius ferre noluerunt. Ille igitur indignabundus, solvite saltem, inquit, dimidiam promissae mercedis partem, cum et ipse febrem jam partitus semitertianam ex tertiana fecerim. Existimabat scilicet Idiota tertianam febrem graviorem esse et magis malignam, quam ipsam semitertianam. I. Hall.

(2) *Protinus discessit.*) Multo tamen Baccius hic felicior, immo & prudentior Andr: Vesalio, celeberrimo cetera Medico, fuit, qui Nobilem quendam Hispanum obiisse credens, cadaver ejusdem concedentibus necessariis cultro anatomico dissecuit; sed postquam pectus aperuisset, cor palpitare, et hominem vivere cum horrore deprehendit. Sed aegre ob id civile pariter et sacrum Inquisitionis judicium evasit, eoque peregrinationem religiosam in terram sanctam

cum non ignorent isti, quanta sit vis imaginationis, nunc cum Kenelmo Digby pulverem sympatheticum extollunt, nunc cum Leonardo Turneissero simplicia sub certis coeli constellationibus colligunt, nunc cum Joanne Floyero nova adhibent horologia, ad quae pulsuum motum examinant, et cum circulatoribus aliis lotium in consilium advocant, et ex colore, tactu, poene dixerim, etiam ex gustu de morbi constitutione sententiam ferunt. Narrabo vobis rem ridiculam, Auditores, quam a Viro fide digno ac gravi relatam memini. Jactabat Empiricus quidam, se ex solo urinae adspectu non solum de morbis omnibus, sed et de illorum causis, quaecunque demum illae fuerint, sive natura, sive sors tulisset, certissime cognoscere; interim ille ita instruxerat servulos suos, ut callide homines ad se accedentes explorarent, et de his, quae comperta haberent, clam ad se referrent. Accedit mulier paupercula cum lotio mariti, quo vix viso, *Maritus tuus*, in-

inquit, *per scalas domus infausto casu decidit*. Tum illa admirabunda, *istudne*, ait, *ex urina intelligis? Imo vero*, inquit Empiricus, *et nisi me omnia fallunt, per quindecim scalae gradus delapsus est*. At cum illa, *utique viginti se numerasse* referret, hic velut indignatus quaerit: *num omnem secum urinam attulisset*, atque illa negante, *quod vasculum materiam omnem non caperet; itaque*, ait, *effudisti cum urina quinque gradus illos, qui mihi ad numerum deerat*. Ecquis vero artes omnes edisserat (1) ac technas

---

ctam instituit. Adeat, qui plura vult, Paravicinum, in Singular. rem fusius Huberti Langueti verbis exponentem, *Cent. II. p.* 224. THEM.

(1) *Ecquis artes omnes edisserat*) Cl. Autor largius de Charlataneria medicorum potuisset disserere, nisi id a proposita brevitate fuisset alienum. Plures dantur Pseudo-Medici, quam veri artis hujus statores; plures mendaces, quam doctores; plures professores falsitatum, quam veritatum. *Rodericus Castellanus* Hispanus, Episcopus Zamorensis, Referend. Papae Pauli II. in *speculo vitae human.* fatetur, vidisse se plures, heri barbarum rasores, hodie morborum gravium censores: heri herbas ceteraque materialia in apothecis commiscentes, hodie in principum aulis

chnas ad fallendam plebem excogitatas, quibus illi vulgo utuntur, quorum commune symbolum est: *Mundus vult decipi, ergo decipiatur*.
Ascendimus (1) ad JCtos, quos in- Acta Erudi. A.1702 p. 84.
R

aulis morbos dijudicantes. Huc pertinent versus illi
*Singuli se Medicos doctos, Idiota, Sacerdos,*
*Judaeus, Monachus, histrio, rasor, anus:*
*Miles, Mercator, Cerdo, nutrix & arator, etc.*
*Levinus Lemnius in simil. Bibl. cap.* 41. ait, novisse se quendam plumbei ingenii sacrificulum qui cineres buxi, deustae atque secundum ritum ecclesiae romanae dominica die palmarum consecratae, aquae lustrali immersos, adhibito ridiculo quodam et inani exorcismo, ad dispellendas, ut adstantibus persuaserat, febres et vermes expellendos, cuidam adolescentulo ebibendas propinarit. Verum paullo post febrem quidem depulsam, ast adolescentem morte sopitum fuisse, adeo ut auctor fuerit suis civibus, ne quis simile quiddam iterum tentaret, quum buxeae frondes sint exitiales et propter gravem ac virosum earum odorem, saporem amarulentum, corpori humano noxiae atque perniciosae. Romanis feminae medicae erant, *Gruterus Inscript.* p. 635., 636. immo servi Romae medicinam professi sunt, quamvis *Sponius miscell. erud. antiq.* p. 144. indigne ferat, Robortellum ejusque sequaces adserere, Romae tantum servos medicinam exercuisse. Athenienses lege caverunt, *ne quis servus aut femina medicinam disceret*, ut Hyginus refert fab. CCLXXIV. CHAR.

Athenis lege cautum erat olim, ne quis servus amori intentus esset. Reminiscor hac occasione, quod tempore Caroli VII. demum iu Gallia Medicis conjugia permissa fuerint. I. GALL.

*invictissimos juris in orbe Monarchas* (2) superioribus seculis dictos deprehendimus ; et quotusquisque est hodie inter Doctores vel infimi subsellii, qui non *ex utroque Jure Caesar* appellari gestiat? Enimvero *dignitas in tam tenui scientia quae potest esse ?* ( utor verbis potentissimi Romanorum Oratoris, non meis ) *res enim sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatae . Deinde etiamsi quid apud majo-*

Cic. Orat. pro Mur.

(1) *Ascendimus*) Lis quondam fuit de Proedria inter medicos et Jureconsultos , festiva admodum ratione terminata, uti Agrippa refert . Judex nimirum ex litigantibus quaerebat, *quo ordine fures carnificesque ad supplicii loca procederent* ? Una hic erat omnium responsio, *praecedere fures* , *insequi Carnifices* . *Bene responsum* , Judex inquit: *praecedant ergo Legum periti*, *Medici vero eos insequantur* . Bene igitur Orator noster a Medicis ad Jureconsultos progressurus, *Ascendimus*, inquit, *ad Jureconsultos* . I. Gall.

(2) *Quos invictos Juris in orbe Monarchas* ) In Vita Renati Choppini JCti apud Gallos celeberrimi , cujus *de Jure Coenobitarum* opus Francof. A. 1709 iterum excusum est , tale ipsi tribuitur elogium : *Lugete, Pan magnus oraculorum forensium occidit, Choppinus ille, scrinium legum, Canonum sacrarium* , *lux Juris Gallici, fax municipiis* , *Orator causarum pius* , *verus, elegans mirabilis* ! Scrib.

*jores nostres fuit in isto studio admirationis; id enuntiatis vestris mysteriis totum est contemptum et abjectum. Itaque irati aliqui, quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent* (1). Has vero no-



(1) *Interessent.*) Oratoris instar Cicero hic loquitur, omnia ad scopum facientia corrogantis; alia occasione omnia contraria defensuri. Sic Medici remedia quaedam mox maximi, mox nihili facere, pro temporum ratione didicere. Sic Philosophi aut *pro vacuo* aut *contra vacuum* arma sumunt, breviter: sic ubique Charlataneria viget. Interim cum venia Bartoli fatendum est, studium de verborum significatione vel maxime eo facere, ut quis Jureconsultus eximius evadat. Immo, ne forte quis superbire praesumat, idem de aliis fere scientiis dicendum est, quippe quae omnes nonnisi circa rerum Nomina occupantur, nec unquam ad naturam rerum ipsam penetrant, observante auctore quodam Anglo. Quid enim praeter notitiam terminorum Medicorum, Theologicorum, Philosophicorum, Juridicorum etc. aliud requiritur, ut pro Medico, Theologo, Philosopho & Jurisperito habeatis? *L'on excelle plus ou moins dans les Sciences, à proportion que l'on sait plus ou moins les Noms des choses, et que dans nos Raisonnemens nous les assemblons bien ou mal selon les conventions que nous avons faites à notre fantaisie touchant leurs significations*, inquit Auctor *de l'Art de penser Chap. I.* I. GALL.

notas atque formulas, quas ubi edidicerint nostri homines, tum jura omnia se devorasse arbitrantur, idem Tullius *inanissimas prudentiae, fraudis autem et stultitiae plenissimas*, nuncupat, *totamque eam scientiam ex rebus fictis et commentitiis constare* pronuntiat, ac postremo scite admodum in haec verba prorumpit: *Itaque, si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me Jurisconsultum esse profitebor*. Quae cuncta mentior nisi nostris temporibus sint admodum accommodata. Equidem sunt alii, qui paulo magis supra vulgus sapientes solicitius exercent crisin, et Graeca continuo crepant, et cum hariolationes suas a Codice Pandectarum Florentino, cana senectute venerabili, non prorsus abludere intellexerint, tum vero Diis se simillimos arbitrantur. At verendum est sane, ne hi ipsi saepius, dum in emendandis legibus omne ponunt studium, sanas leges corrumpant, corruptas lacerent penitus et pervertant. Sed magis tamen

men illi etiam videntur ridiculi, qui, quum pro rostris dicendum est ac legibus agendum, ne leguleji videantur, veterum Philosophorum aut Poetarum sententias (1) crebro in

R 3 me-

---

(1) *Veterum Philosophorum sententias* ) Quod e Balsacio hic refertur exemplum, optime quadrat ad ea, quae Menagius ( *Montmaur* ) supra inter Medicos memorato, qui postea ad Themidos sacra accessit, narrat. Dignus est locus, quem integrum huc transscribamus, *Solebant illius temporibus*, inquit Menagius, *Parisienses Advocati, quoties locum aliquem ex antiquorum scriptis protulissent, qui belle in adversarium conveniret, Horatii verba subjungere:*

*Mutato nomine de te*
*Fabula narratur.*

*At Pragmaticus noster, haud contentus ea rei qua de agebatur, similitudine, nomina ipsa Litigantium in libris Antiquorum investigabat. Hujus rei exemplum unum aut alterum temperare mihi non possum, quin hic adscribam. Forte fuit quaedam litigatrix nomine* Titié: *monuit Mamurra ejus Advocatum, de illa agere* L. Titiae 36. D. Legat. 1. *Fuit et alia nomine* Neaera, *clara in foro litibus femina: docuit et Patronum Adversarii, de ea accipiendos esse versos nonullos Tibulli in Neaeram. Ita factum est, ut a plerisque Caussidicorum, quibus hoc annominationum genus mire arridebat, multum coleretur: et quoties una coenitarent; nam*

*Et certare solent simul et coenare Patroni,*

*numquam non vocaretur: vixque ullus fuit, qui non secum male agi putaret, si in Mamurrae amicitia locum*

Epist. sel.lal. pag. 272.ss. medium adducunt ; qualem se audivisse Balsacius alicubi testatur disertissimum , ut creditus est , fori prin-

*cum aliquem non obtineret : adeo isti μαμυῤῥισμοὶ ( sic enim vocabantur ) omnibus placebant . Sed eos tandem fugavit e foro hujus figurae crudelis eventus . Meaudrum quendam dubiae hominem nobilitatis , immunem capitis tributo , ob plurima sua in patriam merita , cum Judices Pedanei pronuntiassent ; ad supremam Vectigalium Curiam Vicani provocarunt . Ut literarum* n *et* u *et similitudo inter se maxima est , et facillima alterius in alterum mutatio , forte in titulo sacculi litigatorii , nec non in plerisque litis instrumentis ;* Meander *scriptum fuerat , non* Meauder . *Vicanorum Advocatus , qui sic re vera Adversarium vocari existimabat , illum de Popularibus quidem bene meritum fatetur : at liberum idcirco a tributo negat esse oportere ; idque coepit accepto a Mamurra Maeandri fluvii exemplo confirmare : qui cum in Deorum numerum quondam voluisset referri, licet universae Lydiae valde commodus esset , quam non modo opimo limo foecundaret, sed etiam ita amaret , ut ab ea discenderet quasi invitus , quod sinuosis suis recursibus testatur satis superque ; tamen propter maximam pecuniam , quae in hanc Apotheosin erat impendenda , prohibitus est a Regionis incolis . Dum haec magna contentione Rusticorum Advocatus loquitur , dicentem interpellavit , qui in hac homonymia litis summam versari existimabat , ineptus quidam Meaudri Procurator , monuitque Judices , clientem suum non* Meandrum , *sed* Meaudrum *vocari : quod terque quaterque magna voce clamavit : unde tam magnus repende risus exortus est , ut perorare vix licuerit Advocato . Atque ex eo tempore nemo amplius ausus est μαμυῤῥίζειν .* Vid. *Hist. de Montmaur par* Sallengre *Tom. I. p. 56. seq.* Vand.

principem ita differentem : *Docebit vos, o Procuratores, officium vestrum Homerus Iliados K, et Eustathius Scholiastes Homeri in illos versus*; quos memoriter ad decem vel duodecim recitabat, nulla numerorum et accentuum habita ratione. Aliis nec Justinianus, nec Tribonianus satis placet (1) homines quippe, si illis credas, ineptissimi (2) et vix



(1) *Stabat placet* ) Heic profecto intelligit Hotmannum, et Wissenbachium: Hi enim, renata demum Jurisprudentia, multis Triboniani operam accusarunt. Huic vero sui non defuerunt defensores; ejusque caussam bene praeter ceteros peroravit Ulricus Huberus in *Eunomia Romana*, et clariss. Bynkershoekius in *Observ. Rom. Jur.* An vero ii patrocinio suo Tribonianum prorsus absolverint? Sub judice adhuc lis est. Quis enim antinomias, licet Triboniano non sit infensus, excusare sine ulla religione poterit? CHRYSOL.

(2) *Ineptissimi* ) Neminem quidem hic nominat Orator noster : credo interim, crisin ejus pertinere ad Franciscum Hottomannum, qui tractatum sub Antitriboniani titulo edidit, monstraturus, Tribonianum non satis eruditum fuisse, ad exsequendum tanti momenti negotium, quale compilatio Juris Romani. Libellus hic saepius recusus *libellique aurei* elogio a multis mactatus est. Suidas, voce *Tribonianus*, malae fidei eum accusat, qui Justitiam commodis suis privatis accommodaverit.

gunt, quibus suas dissertatiunculas, responsa, decreta non tam ornant, quam onerant. Id quod suo etiam saeculo vidit Erasmus, qui, inter eruditos, ait, Jurisconsulti sibi vel primum vindicant locum, neque quisquam alius aeque sibi placet, dum Sisyphi saxum assidue volvunt, ac sexcentas leges eodem spiritu contexunt, nihil refert quam ad rem pertinentes, dumque glossematis glossemata, opiniones opinionibus cumulantes efficiunt, ut stultum illud omnium difficillimum videatur. Quicquid enim laboriosum, illud protinus et praeclarum existimant. Jam de illis dicendum erat, qui Causidicinam (1) seu Rabulisticam exercent, artem mentiendi ab Aristotele dictam; cum necessitati similes, hoc est, sine legibus sint (2), literarum tendiculas

Enc. Mor. p. 96.

et

(1) *Causidicinam* ) Ita vocat Scioppius, qui ante alios in *Consultat. de Scholar. et studior. ratione*, de artibus Juteconsultorum meretur conferri p.40. seq. M.
(2) *Sine legibus sint* ) De his dici possunt noti versus:

*In*

et aucupia verborum vibrantesque sententiolas sectantur, quibus causas bellissime circumducunt, donec emunxerint penitus suos clientes; aut si id fieri non possit, propter illorum opulentiam, litem ex lite trahunt, a seris demum nepotibus finiendam aut

*In Institutis comparo vos brutis,*
*In Digestis nihil potestis,*
*In Codice scitis modice,*
*In Novellis caeciores estis catellis,*
*In den Reichs-Abscheid*
*Seyd ihr kommen nicht weit,*
*Et tamen creamini doctores.*
*O tempora, o mores*

Alii ineptas protulerunt & interpretrati sunt quaestiones e. g. an is, cujus gladio caput abscissum, si revivisceret, eodem iterum sit afficiendus poenarum genere? *Finckelth. prefat. ad observ. practic.* n. 12., vel, num Lazarus ridivivus uxorem suam repetere queat? cui proprium sit ovum, quod a variis gallinis in eodem nido positum? *Hering. de fideijuss. c.* 10. *n.* 102. Zwingerus *de Barbarie super. seculor. oratione p.* 121. dicit. *Ludovicus XII. Galliarum Rex Christianissimus saepius dicere solitus fuit, leges Juris-consultorum similes esse corio sutorum. Ut enim hi corium, si brevius aut densius sit, quam conveniebat, dentium morsibus fricent, stringant, atque distendant: sic et Juris-consultos suas leges distrahere, stringere, contorquere et artibus mirabilibus tornare, donec proposito iniqua reddant accomodas.* Char.

aut potius deserendam (1). Longae sunt lites, longae ambages et cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem delassare valent Fabium.

Denique dum ad Theologos accedo, praecipua mihi circumspectione opus esse video, ne, dum Pseudo Theologos in theatrum produco, eorum tangam sacrum caput, quos profundissima animi religione cum piis omnibus prosequor: quare, etsi nostros nequaquam fatear omni vitio carere, ab iis tamen potissimum dicendi materiam petere constitui, quorum par fuerat non minus perversos mores quam doctrinam destituisse. Hic itaque illi primum mihi memorandi sunt, qui cum sint flagitiosissimi

(1) *Deserendam.*) Causae quantumvis pessimae nunquam Patronis, legibus, rationibus destituuntur. Hic autem maximus esse videtur Charlataneriae gradus, quod eadem lege facta prorsus contraria defendere summa cum impudentia conantur advocati. Contradictionum manifestarum convinci posset maxima eorum pars. Conf. *Bael.* Dict. Art. *Antoine* l'Orateur Rem. A. B. C. et Art. *Deiotarus Rem.* D. I. GALL.

mi, pietatis tamen larvam (1) induunt, eoque continuo ad aram Savernae Deae adgeniculantes exclamant:

*Pulcra Laverna,*

Horat. Epist. *Da mihi fallère, da justum sanctumque videri,*

*Noctem peccatis et fraudibus objice nubem.*

De Van. Sc. C. 10. Hinc tot, ut cum Agrippa loquamur, Stoicae simiae, tot insolentissima poscinummia, tot palliata mendicabula, tot cucullata monstra, barbigeri, funigeri, restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritae, grisones, albichlamides, versicolores, multipelles, linostolii, retiarii, palliati, chlamydati, pullati, paludati, praecincti, brachuati, ac id genus aliornm turba histrionum, qui cum de rebus humanis nullam fidem habeant reliquam, (ob monstrosae vestis habitum creduntur illis divina) hodieque sa-

(1) *Larvam induunt*) *In nomine Domini committitur omne malum*: Hoc proverbio Judaei saepius uti solent. Fiat applicatio; I. Gall.

sacrum religionis nomen sibi solis usurpant, ac se Christi sodales Apostolorumque contubernales jactant: quorum vita saepe scelestissima est, avaritia, libidine, gula, ambitione, temeritate, petulantia et omni scelere referta, sed religionis praetextu semper inulta. S. Vitalis lupanaria frequentissime ingrediebatur, scilicet ut meretriculas ad bonam mentem adduceret; at hoc multo audacior Robertus de Arbrissellis cum sacris virginibus, si quae pulcriores illi visae essent, secure decumbens, quicquid erat titillationum ac prurientium libidinum, velut arietes ad expugnandam castitatem admovebat, nimirum ut de tot tentationibus eo gloriosius triumpharet. Deinde de illis dici poterat, qui cum e sacro suggestu verba faciunt liberrime (1), nec

Mathanasius p. 129. Id. p. 81.

(1) *Verba faciunt liberrime*) Charlataneriam Concionatorum sui temporis reprehendit saepius *Erasmus* in scriptis suis, inprimis in *Ecclesiaste S. libr. 4. de ratione concionandi*, nec non in *Colloquiis*. Quodsi quis

nec quenquam timent, qui illis palam refragari ausit, non tam illud curant, quemadmodum officii sui rationes impleant, quam ut auram popularem captent, eoque in hos, a quibus se haud satis profunda latria coli existimant, satyram perpetuo exercent, quoscunque volunt, ita depingunt, ut manibus palpari queant; quod dum faciunt, tum demum expergiscuntur, eriguntur, inhiant omnes. Aniles porro fabellas(1), quas

a

---

quis complures eloquentiae illius circumforaneae flores colligere velit, adeat libros Anglica lingua conscriptos: *Scotch Presbyterian Eloquence or the foolishness of their teaching discovered etc. The Grounds and Occasions of the Clergy and religion enquired into* TRIVULT.

Conferatur Panegiricus Grutero dictus a Venatore p. 222., citatus a *Baelio art. J.* Grurer *Rom. D. lett. f.*

(1) *Fabellas* ) Quidni etiam aliquid dici poterat de ineptis illis Theologorum imprimis Pontificiorum disputationibus? e. g. quomodo Deus diligat contraria et quomodo possibilia nunquam existentia? quomodo Deus possit plura scire quam scit? utrum conveniens fuerit eductio carnis Christi de viro et muliere? utrum corpus virginis Mariae fuerit expositum influentiis stellarum? utrum convenientius fuerit, Angelum apparere Mariae in specie humana,

an

a nugacissimis mulierculis accepere, tanta fiducia narrant, ut centum ad minimum rei gestae testes juratos habere dixeris; quae nihilominus, si accuratius introspiciantur, mera deprehenduntur mendacia ac deliramenta. Imprimis vero ut plebeculam territent(1), in portentis fingendis frequen-

an vero serpentina aut columbina? an in salutatione Angelus genu flexerit? cur Adam extra paradisum creatus, Eva in paradiso, angelus in coelo empyreo? utrum in statu innocentiae aequalis semper numerus fuisset virorum et mulierum? utrum Christus sit tantus in una parva hostia, sicut in una magna? etc. CHAR.

(1) *Ut plebeculam territent*) Convenientissimae querelae! Unus saepe Cometa tot malorum prodromus esse perhibetur, ut mirum non sit, simpliciorem plebem, ultro in superstitionem pronam, magis magisque in eadem confirmari. Nichilominus tam pertinax est horum Virorum mala praesagiendi pruritus, ut cum Sempronio, urbis non incelebris Pastori, aliqui obiicerent, nullum malorum, quae cometam nunciare praedixerat, subsecutum fuisse; ille pubblice et pro concione protestaretur his verbis: *Quodsi nunc eventus nondum respondet, nemo tamen novit, quid intra proximos quinquaginta annos futurum fit.* Stolidiores adhuc sunt illi, qui ventum concitatiorem, eclipsesve solares, Titii more, ceu tristiorem casuum nuncios allegant. Demus enim, post phae-

quentissimi sunt, nunc piscinas clamantes in sanguinem mutatas, nunc puteos sponte sua commotos, nunc eju-

---

phaenomena eiusmodi pure naturalia, dura quandoque tempora incidisse, eadem tamen illorum signorum, quae libri Pufendorfiani de O. H. et C. culpa est, quod studiosus quidam atra bile laborans vitam spontaneo suspendio finierit; quamvis et hoc ipsum Clerus quidam, helleboro indigens, constanter asseruerit. I. Hall.

Scilicet *non semper maximi Clerici sunt maximi Sapientes*, seu ut *Regnier Sat. III. Ainsi les plus grands Clercs ne sont pas les plus Sages*. Fateor tamen, tantam sacri ordinis reverentiam peres me esse, ut paucorum aliquot vita, & si quidem cadunt in viros Theologos, gesticulatorias artes honesto silentio obtegere, quam talia revelando, reliquorum odium incurrere malim. Unum saltem Naudaei de Cometarum Interpretibus locum non addidisse pigeret, quem, (nisi ille festinanter quaerentis oculis se subduxit) Baelius in egregiis suis Meeditationibus aut in partes vocare oblitus est, aut nescivit. Verba Naudaei sic iacent p. 422. cit. saepius Dial. *Comme* (explosa etat pagima antecedenti reliquia futuri mali omnia, Inundatuones etc:) *des Cometes, de quibus etsi dicat Poeta, nunquam visum impune Cometen, tamen Puteanus, Grisaldus, Gainisius et Paschalius ont tous prouvè par une infinità de reisons et d'experience, Cometas indicium esse felicitatis futurae, non ut Vulgus putat calamitatis; Mais pour moy j'estime plus veritable, que toutes ces choses là à nous ne font ny bien ny mal, eo qu'elles nous sont tout à fait indifferentes, au moins pour ce qui est des Cometes,* *car*

ejulatus nocturnos, quae certissima bellorum, incendiive aut pestis praesagia interpretantur; quibus tamen rebus, si eventu destituantur, valde vereor, ne Atheismum facilius quam morum emendationem provehant, et fidem apud prudentiores penitus amittant(1). Jam si exempla poscitis, non est, ut ea copiosius edisseram, quae de Nicolao Riccardio, Francisco Panicarola, Thoma Rhedonensi, vulgo Conette dicto, Joanne Capistrano, et

S cla-

---

*car pour les inondations, le mal qu' elles nous font n' est que trop sensible; aussi est ce à mon advis, ce qui a donnè lieu à nostre proverbe : de grand Seigneur, grande Riviere et grand chemin, fuis si tu peux d' estre voisin.* Q Marc.

(1) *Penitus amittant*. Religio obstat, quo minus colophonem addere jubeam Diaconum Wurmsfeldensem, qui postquam terribilissima quaeque auditoribus suis retulisset de Vitulo recens nato Anthropocephalo, illa demum subjunxit : *Et quodsi denique falsus etiam fuerit de monstroso hoc vitulo rumor : vos nihilominus, o Mei pesuasissimi estote, hunc et similes casus certa signa esse appropinquantis judicii supremi. (Solte ja dergleichen Kalb nicht gebohren seyn, so glaubet doch sicher, meine Werthen, es sind dieses alles Zeichen vor dem lieben jungsten Tage.* Them.

set, probe intelligeret. Eo delectabatur ante alios gravissimus quidam dioeceseos nostrae Antistes, eundemque, ceu e Magni Pompeji lumbis justa posterorum serie procreatum, pro ea, qua pollebat, facundia auditoribus suis enixe commendabat. Enimvero cum paulo post audiret, clarissimum Historicum, C. F.F. in familiari sermone asseverasse, quod e certissimis historiarum monumentis constet, jam tum ante mille quingentos fere annos penitus defecisse stirpem Pompeji Magni; tum vero Antistes, denuo se prorumpens in suggestum, Pompejum suum vehementius extollere et tantum non diris devovere omnes, qui de prosapia illius dubitarent, adlegatis in rem suam verbis Salvatoris. *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis?* Sed manum de tabula (1). Joh. III v. 12.



(1) *Manum de tabula* ( Cum de circumforane maxime

Quin ad id potius me converto, cujus gratia hanc cathedram conscendi. Nunc enim vos mihi compellandi-

---

xime Eruditorum jactantia agere constituerit Autor, non erat abs re inter Pseudo-Theologos, quos vocat, memorare Quirinum Kuhlmannum, qui in libro Lugduni Batavorum 1674 vernacula lingua edito, cujus titulus: *Neubegeisterter Bohme etc.* plusquam, 1000000000 quaestiones, quas vocat, Theosophicas h. e. uti cap. XXI p. 374 rem explicat, infinitas quaestionum myriadas, omnibus Theologis atque Eruditis solvendas, proposuisse sibi visus est. TRIVULT.

Si placuisset Oratori Charlataneriam Concionatoriam separato pertractare articulo, multa profecto satisque curiosa exempla in medium proferre potuisset. Conferatur interim Praefatio *de la Defense du Nouv. Test. de Mons Edition de Cologne* 1668. Exstat ibidem Analysis Concionis cujusdam P. Maimburgii super varia Canum genera, ad Concionatorum diversas classes applicata: Idem videri potest in *Bael.* Dict. Art. *Maimburg.* Rem. C. Coronidis loco apponere juvat sequentia verba ex praefatione libri *la Bibliotheque des Predicateurs: Quel genie est assez beureux pour tirer de son ſond tout ce qui est necessaire à remplir de longs et de solides discours sur tant de differens sujets. Il y en a qui se contentent d'un Langage poli, et de Termes etudiez plus propres à l'Academie que de la Chaire: sans se mettre en peine, pourvû qu'ils parlent bien, si leurs discours est instructif, bien conduit, bien raisonnè, et en un mot capable de persuader et de toucher l'Auditeur. D'autres ennemis de la peine et du travail, ne se ſont point un*

di estis, doctissimi Domini Candidati, qui vestrum in bonis litteris studium et industriam Excellentissimis Dominus Examinatoribus abunde probastis, eoque digni estis habiti, quibus suprema in Philosophia laurea a Spectatissimo Facultatis nostrae Decano in hac solenni panegyri conferatur. Quare pro ea, quae a Serenissimo Principe ac Domino, Domino MAURITIO WILHELMO, Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae et Westphaliae, Postulato Administratore Episcopatus Martisburgensis, Landgravio Thuringiae, Marchione Misniae, ut et superioris et inferioris



*un scrupule de precher les Sermons d' autrui au peril de passer pour Plagiaires, et pour des gens qui vivent d' industrie; desorte que contens de la peine qu' ils se donnent d' aprendre et de reciter ce qu' ils ont acheté des Copistes ou de ceux qui sont-trafic des pieces qu'ils composent, ils s' en croient paiez de voir qu' ils s' en font souvent à peu de frais une vogue et une suite des Predicateurs d' un vrai merite ne peuvent avoir, que par des discours de leur fason.* I. Gall.

Lusatiae, Comite Principali dignitate Hennebergico, Comite de Marca et Ravensberg, Domino in Ravenstein, Academiae nostrae Cancellario perpetuo, Domino meo Clementissimo, mihi clementissime demandata est, potestate, ego D. J. B. M.-- et ad hunc actum constitutus Procancellarius, Vos Philosophiae ac Bonarum Artium Baccalaureos, Te--

Vos inquam numero XXX Philosophiae ac Bonarum Artium Licentiatos facio ac creo, factosque renuntio, tribuens vobis jura omnia, quae hinc ordini conveniunt, idque in nomine patris et Filii et Spiritus S. Amen.

Tandem ad Te convertor, Vir Spectatissime, Excellentissime atque Amplissime, Domine Ulrice Juni, Mathematum in hac Academia Professor Publ. celeberrime, ut et Mathematice Regie, Collegii Maj. Princ. Collegiate, et h. t. Fac. Phil. Decane, Domine Collega, Compater ac Fautor multis nominibus colende, tibique porro potestatem facio his a me

me modo renuntiatis Dominis Licentiatis supremos in Philosophia honores publice et solenni ritu conferendi; Deus faxit feliciter!

## EPIPHONEMA
### LECTORIS FEBRICITANTIS
### AD CHARLATANERIAM
### MENCKENII.

*Ohe, jam satis est, ohe, libelle,*
*Tandem desine Charlataneriis.*
*Doctis quisquiliis ineptiisque*
*Tantorum mihi cranium virorum*
*Ægro rumpere nugivendulorum:*
*Cessent Demonsius, Politianus,*
*Segerus, reliqui cum Buccaferro,*
*Nil te jam retinet, rudens aselle,*
*Cum sessore furente Glareano,*
*Formet Menckenius Licentiatos:*
*Nugis quippe satis febriculosis*
*Repletum est mihi languido cerebrum:*
*Cum sanus fuero, magis placebis.*
*Ohe, nunc satis est, ohe libelle.*

METROBRAVIUS.

# SEBASTIANI STADELII

AD

JANUM PHILOMUSUM

# EPISTOLA

DE

CIRCUMFORANEA LITERATORUM VANITATE.

Non festivas solum, quod soles, *Philomuse*, superioribus diebus ad me misisti literas, et ingenii tui et tranqulli animi indices, sed etiam libellum non ita pridem editum, quo (ita me Musae ament!) nihil esse potest festivius. Quo magis doleo, quam voluptatem ex ejus lectione capere potuissem, quo minus solida ea esset, imperiosis Tuis Te precibus impediisse, a me exigentem, ut epistola non nimis brevi tria re-

scri-

scribam, *primum* quid existimem de illo libro, vel potius de illo Satyrarum pari, quas nuper vulgavit MENCKENIUS, *Vir Tuae laudis*, (uti scribis,) *non indigus*, *sed sua luce radians* in *Charlataneriam*, quam vocat, *eruditorum*; *deinde* an non barbara ista appellatio alio possit permutari vocabulo, scilicet pure Latino: *denique* si plura *Charlatanismi* exempla forte mihi suppetant, ut opiparum eorum ferculum Tibi apponam.

Poteram, Vir optime, molestum hunc et invidiosum laborem recusare, ne vel *Menckenii*, si de ejus Satyris libere, quod sentio, dixero; vel Charlatanorum, illorum quorum ulcera tractanda sunt manu immitiori, iras provocem et aculeos. Cum enim *Menckenius* vix par sit Carlatanorum, quos irritavit, insidiis, quid me futurum putas, si utrique impetum in me faciant, conjunctisque signis tam imbecillem homuncionem adoriantur. Nostin' illud. *Veritas odium parit*. Et alterum ejusdem Comici: *Omnia assentari is quaestus nunc est multo uber-* Te. rent. Eu- nuch. II. 2. 22.

*uberrimus*. Quid ergo? Rescribam, ut Tibi: tacebo, ut mihi gratificer. Rescribo scilicet Tibi, taceo aliis. Scis, quid velim? Tibi soli haec dicta sunto, ut et amicitiae legibus satisfaciam, nec alios temere offendam;

Ut igitur primo loco meam exponam de Menckenianis Orationibus sententiam, scias, eas hactenus vel maxime mihi probari, quod Auctor celeberrimus vitiosos literatorum mores docto sale conspersit. Quippe hoc pacto non solum impeditur, quo minus vitia literatorum ipsis literis aliquid infamiae affricent: sed etiam ipsi literarum cultores sive exuere sua sive non imitari aliorum vitia poenae Satyricis dandae metu coguntur, atque ita suus literis honos, sua literatis existimatio servatur illibata. Praeterea fatendum est mihi, non adversante Genio effusas esse illas Satyras, sed naturali lepore, profluenti sermone, docto delectu, castis facetiis lectorum animos vi quadam dulci et grata ad se rapere.

Tria tamen sunt, quae peccasse

vi-

videri possit *Menckenius*. Nam *primum* injurius quodam modo est in literatorum ordinem, cum ne obiter quidem Charlatanismi a caeteris ordinibus exerciti meminit, adeoque nostrum ordinem in suspicionem adducit, quasi in eo solo ridiculum illud genus hominum inveniatur. Scilicet vel tribus verbis indicare debebat, turpem illam artem, *Charlataneriam* quam vocat, non coli a solis eruditis, sed Carlatanorum plena esse omnia: se vero jam Charlatanos duntaxat eruditos mordaci fodiendos stylo suscepisse. Perspecte observavit *Pufendorfius*, *Paedantismum mentis, non literarum aut sectae alicujus vitium esse, sed omnis generis, conditionis et ordinis homines perambulare*. Idem verissime de Charlatanismo dici posse, haud dubie non nescivit, sed tamen non monuit *Menckenius*. Qui enim ignoraret, quod jamdudum praeter singulorum dierum experientiam docuit *Petronius*, *totum orbem exercere histrioniam*, id est, Menckeniano vocabulo, Charlataneriam.

Lib. II de Jure Nat. et Gent. c. IV. §. 3. extremo p. 256.

Quod

Quod si verbulo indicasset, illiterati non possent abuti ejus optimis alioqui Satyris in contumeliam literarum, sed secum recordati, idem vitium propriis nasci in hortis, moderatiores se praeberent in eo, quod ex Cadmaea hac pugna capiunt, gaudio.

*Alterum*, quod in Menckenianis desidero Satyris, illud est, quod, neglecto *Ciceronis* praecepto, nulla apparet Charlatanismi definitio, quae naturam ejus plane describat, ac Charlatenismum a ceteris literatorum vitiis sejungat. Ita enim factum est, ut maxime in posteriori oratione, permulta non tam Charlatanismi, quam Paedantismi, exempla afferantur. Ergo, inquies, Tu utrumque fini et distingue. Accipe igitur imaginem utriusque vitii, quam concepi animo. *Paedantismus est ambitio ex ejusmodi eruditione nata, quae versatur in rebus non maximi momenti.* Haec ambitio, quia inopiam judicii prodit, non potest non gignere facta ineptissima et quae largam praebeant

ri-

ridendi materiam: verbi gratia, cum illud Criticorum par de quaestione, utrum *emtum* an *emptum* scribi fas esset, non verbis, sed telis, digladiaretur: cum Poeta ille, *Menckenio* laudatus scilicet, ne Caesari quidem assurgere dignaretur: cum Grammaticus ille Suetonianus secum natas, secum morituras quiritabatur literas: cum Nero imp. citharam, histrioniam et poesin doctissimus, morti propinquus identidem exclamaret: *Qualis artifex pereo! Paedantismus* igitur arguit simplicitatem mentis: *Charlatanismus* in impostores cadit, qui more circulatorum id agunt, ut decipiendis hominibus quaestum faciant. *Paedantae* igitur se ipsos prius, quam alios, decipiunt, vana nescio cujus sapientiae opinione turgidi: *Charlatani* contra non tam sibi, quam aliis, imponunt, animumque habent quaestum inde faciendi. Ambitio quidem certe a Paedantismo separari non potest, Charlatanismus potest: quippe non omnis ambitio lucrum et applausum spectat, ut vel ex allatis

P. 133.

Suetonius in Vita Neronis cap. 49.

Paedantiſmi exemplis facile intelligi-
vid. Men-ckeni-us p. 15. tur. Ita *Segerus* ille miſerabilis fuit Paedanta, Charlatanus non fuit. *Charlatanus* igitur *literatus* (en definitionem! ) eſt homo vix mediocriter eruditus, qui immoderata ſcientiae ſuae jactantia, hiſtrionicis interdum facetiis mixta, hominum applauſum captat, eo conſilio, ut aliorum ſtultitia fruatur ad famam opesque ſuas augendas. Talem illum ex ſu-
Lib. I. Fab. 14. tore Medicum ſive Charlatanum deſcribit *Phaedrus*: tales videmus circulatores in nundinis: tales ergo oportet eſſe, quos Carlatanorum literatorum appellatione inſignire jure velis.

*Tertium* ſupereſt, quod in Menckenianis Satyris reprehendere auſim. Scilicet cum oſtentatio faciat Charlataniſmum, interdumque ſcurriles accedant facetiae, cave, quasvis facetias a bono doctore abeſſe oportere putes, nec omnem ſcientiae oſtentationem ab ejus perſona alienam judica. Hoc igitur eſt, quod praeteriit *Menckenius*. Quid? oſten-
ta-

tationem sui honestam a vitiosa, itemque εὐτραπελίαν sive laudabilem r-sermonis jucunditatem ab histrionalibus scurrilibusque facetiis non discernendo, ipsam eruditorum prudentiam invidiae et obtrectationi exposuisse videtur. Nimirum non quisvis jocus histrionem facit, sed sapientissimus quisque hoc interdum condimento utitur veritatis cibum praebens auditoribus. *Duplex*, inquam, Doctoris *dos* est, quod *aurem capit*, et quod *errorem corrigit mortalium*. *Duplex*, inquam cum *Cicerone*, *omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum: alterum elegans, urbanum, ingenuum, facetum: quo genere etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt*. Deinde nec omnis ostentatio est bono viro indigna, sed est omnino ars quaedam, virtutes suas aliorum ingerendi oculis salva modestiae lege, eoque tantummodo fine, aliorum ut commodis eo magis consulere possis. Ignoti nulla cupido, nulla aestimatio. Quare prodeundum sane in pubblicum est,

Phaedrus lib. 1. proleg. v. 3. Item lib. II. proleg. v. 3. et 6. Lib. 1. de offic. cap. 29.

est, mercesque exponendae, nullos alias inventurae sive amatores, sive emtores. *Non parva est prudentiae praerogativa*, (agnosce perspicacissimi illius *Verulamii* verba, ) *si quis arte quadam et decore specimen sui apud alios exhibere possit, virtutes suas, merita, atque fortunam etiam (quod sine arrogantia aut fastidio fieri possit), commode ostentando: contra, vitia, defectus et dedecora artificiosa occultando*. Plnra in hanc rem ibidem edisserit, quae suo loco, si libet, leges.

Lib. VIII. de Augm. Scient. cap. 2. p. 433.

Habes, *Philomuse*, meam de *Menckenii* libro sententiam, vel potius leves in tam pulchro corpore naevos. Nihil enim addo, ne calamum crimineris censorium, aut πολυθρύλλητον illud occinas: Ῥᾶον μωμεῖσθαι. Sequitur, ut appellationem plane Latinam nec ipsis priscis illis Romanis inficiandum circumspiciam, quae, quod *Menckenius Charlataneriam* vocavit, declaret. Ac sane dubito, an uno verbo vis barbari illius nominis satis exprimi possit. Venit mihi in mentem *Thrasonismi*, item Scioppiani

ni * *Solipsismi*. Sed neutrum satisfacit, nec omnes *Charlataneriae* recessus pandit. Nec tamen tam inops est ** Latium, ut *Charlatanismum* in civitatem cogatur recipere. Poterat *Menckenius*, quod et in praefatione fatetur, librum suum inscribere *de circulatoriis* *** *literatorum artibus*: poterat, quod mihi placuit, *de circumforanea literatorum vanitate*: poterat *de aretalogis* **** *literatis*: poterat de-

T ni-

* Scioppius adscito *L: Com. Europaei* nomine contra Jesuitas scripsit *Monarchiam Solipsorum*.

** Quod ad Graecam linguam attinet, ea Charlatanos Philosophos vocat σοφιϛας. Σοφιϛης inquit *Aristoteles* Lib. de Elenchis sophisticis cap. 1. §. 8. est χρηματιϛης απο φαινομενης σοφιας, αλλ' ουκ ουσης, id est, qui falsam illam philosophiam in quaestum suum convertit.

*** Haec appellatio jam *Lipsio* arrisit et *Baelio*, quorum ille in *Seneca* Epist. 88. ita legit: *Appion sub C. Caesare tota circulatus* (pro *circumlatus*) *est Graecia*; eumque Appionem *agyrtam* fuisse *et circumlatorem*, scilicet literatum, scribit; Hic *Lipsio* subscribens eundem Appionem (Diction. v. *Apion.* not. D.) vocat *un Charlatan & un Saltimbanque.*

**** Recordor, hanc appellationem jam *Morhofio* in mentem venisse, qui Lib. 1. Pol. lit. c. 9. §. 12. *Aretalogorum et Thrasonum litterariorum* meminit.

nique *de seplasiariis literatorum artibus*.

*Postremum* restat, idemque molestissimum, ut, si qua alia hujus furfuris exempla in promptu habeam, Tibi liberaliter ac toto, quod ajunt, horreo admetiar. Neque vero, *Philomuse*, ad fastidium usque Te obruam, sed *Menckenium* imitatus potiora seligam, hoc Te Catone contentum fore confidens. Repetas autem et ob oculos tibi ponas velim, ne a janua aberremus, allatam modo definitionem *Charlatani literati*. Scilicet is est *homo vix mediocriter eruditus, qui immoderata scientiae suae jactantia, histrionalibus interdum facetiis mixta, hominum applausum captat, eo consilio, ut aliorum stultitia fruatur ad famam opesque suas augendas*.

Ut de histrionalibus facetiis prius dicam, eae claro honestoque viro indignae sunt, ideoque pauciores ex literatorum ordine producere potero honoris sui tam prodigos, ut scurrilibus nugis applausum et opes quaererent. Nam ipsi quoque Medici

Char-

Charlatani gravitate sua indignum judicant, risum captare stultiloquio, sed sannionem sibi adjungunt, qui ridiculis gestibus ac fabulis populum delectet. Interim nec tales literati moriones desunt. Cui enim ignotus est *Taubmannus*, cui *Abrahamus a S. Clara*? In celebri quadam Academia sacerdotio Bavarus quidam fungebatur, qui in sacris concionibus tam lepidus erat ac festivus, saepe ut in cachinnos solveretur auditorium. In eadem alius et Philosophi personam sustinens, et Theologi, tantos in scholis risus ciere quotidie solebat, ut jurares, ipsum Titi Imp. illud suum fecisse; *nullum debere tristem ab ipso discedere*. Adeo enim ipse in risum effusus erat, suisque auditoribus et exemplum et materiam ridendi praebebat, ut quovis morione eum facetiorem esse facile assentireris. Verum, ut dixi, pauci literati a se impetrare possunt, ut rideri gaudeant sermones suos. Ceterum haud pauci in admirationem sui rapere student alios, ac *digito*

gaudent *monstrari et dicier* : *HIC EST*. Charlatanismi hujus sequentes potissimum sive artes sive genera deprehendi.

Aliis pulchrum visum est, suas ipsorum laudes ebuccinare more Astydamantis. Hoc faciebat ille paucis ignotus, qui tres esse sua aetate eruditorum principes dictitabat, quorum duos nominans, tertium se proferre nolle addebat, scilicet ut auditoribus proclive esset adjungere magistrum. Ipse novi quendam Philosophiae Professorem, magnae famae hominem, novitios ad se a Depositore adductos hac adhortatione dimittere solitum: *Frequentate, quaeso, meas scholas: quippe princeps ego Philosophorum sum in hoc Lyceo, nec meliorem ducem nanciscemini alium*. Atque is quidem imitari malebat notum illum in Saxonia circulatorem, qui cum prodit in scenam et populo fit spectaculo, hoc statim prooemio fascinat circumfusam turbam: *Ego sum celeberrimus ille Sideropogon*; quam Socratem, qui rogatus a quo-

quodam, quis optimus eſset Philoſophiae magiſter, eum in alius Scholam proſequebatur. In poetis maxime notatur illa sua laudandi impudentia: inter quos eminere *Malherbium* notat *Baelius*. Talis olim fuit *Appion* ille, qui *Polyhiſtor* appellatus eſt. Hunc enim *in praedicandis ſuis doctrinis maximum venditatorem* fuiſse, teſtis eſt *Aulus Gellius*. Idem auctor alium producit jactatorem; *qui ſe unum et unicum electorem eſse enarratoremque Sallustii dicebat, neque primam tantum cutem ac ſententiarum ſpeciem, ſed ſanguinem quoque ipſum ac medullam verborum ejus eruere atque introſpicere penitus praedicabat*. An non *Caſpar Barthius* in praefatione *Adverſariis* ſuis praefixa *Appionis* veſtigia preſserit, aliis permitto arbitrandum.

Di. ction. voc. Mal herbe not. C.

Noct. Att. L. V c. 4. Lib. XVI cap. 4.

Ad eos, qui, quam magnifice de ſemet ipſi ſentiant, manifeſtum facere non erubeſcunt, eos quoque refero ſuo merito, qui nomen infantibus inditum mutant longe auguſtiore. *Vaninus* ille *Julii Caeſaris* nomen

stolidissimo fastu adscivit: *Philippus Bombastus* latet sub splendido tegmine *Aureoli Theophrasti Paracelsi*.

Ad eandem caveam pertinent, qui nominibus suis omnes suos titulos, quorum plerique inanes soni esse solent, longa serie subjiciunt. Quid est enim hoc aliud, quam Charlatanorum illud: *Sechter meine Herren*! Talibus non sufficit, quod scriptae a clientibus epistolae illam titulorum pompam praeferunt: sed ipsi *omnes* * *triumphos suos, omnia ornamenta honorum, monumenta gloriae, laudis insignia*, repraesentant oculis legentium quavis occasione, immemores Tulliani ** illius: *Insignia virtutis multi sine virtute assecuti sunt*. Horum hominum propterea me miseret, quod
Trinummo IV 2. 43. *Sycophantam* illum Plautinum imitantur, qui nomen suum rogatus ita re-

* Agnosce verba Ciceronis Orat. III. in Catil. cap. XI.

** Lib. III. Epist. 13. Idem Cicero Lib. X. Ep. 6. *Dignitatis insignia* discernit ab *honorum vocabulis*.

respondebat: *Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine, concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris: opus face est et viatico ad meum nomen*. Sarsinatis ideo *solide* v. 41.
*sycophanta* visus est, mihi illi *solide Charlatani* videntur.

Vos quoque in hanc Charlatanorum tribum adscriberem, nisi vestra timerem graphia, Clarissimi Domini *Magistri atque Doctores*, qui soluta impudenter pecunia licentiam emitis vos appellandi Magistros Philosophiae, ( vah quam nomen hoc magnificum est! ) Doctores * Theologiae vel Jurisprudentiae vel artis Medicae: Ecquis non misereatur virginis, se ipsam formosam appellantis, suaeque formae testimonium ma-



* Erasmus Charlatanicum hunc morem aversatus, nunquam nomini suo praescripsit sacrosanctum illud D. cum tamen creatus esset in Academia Taurinensi Theologiae Doctor. Hodie multi idem spectare videri possint, cum *Magistri* titulum abdicant, nisi constaret; eos non splendore, sed vilitate hujus tituli adductos id facere.

gna pecunia redimentis? Quid, quaeso, vos facitis aliud? Facite vero, ut, quemadmodum puellae pulchritudo, sic eruditio vestra incurrat in oculos, ac de semet ipsa irrefragabile edat testimonium. Praesta, inquam, Te virum, praesta Te Doctorem, praesta Te Magistrum. Quid opus est verbis, quid titulis, ubi rerum adesse debent testimonia? Pythagoras ne *sapientem* quidem se ab aliis appellari patiebatur. Vos vobis non videmini solum, sed vocari gestitis, non *sapientes*, sed *sapientiae magistri*. Valde ridebatur Roterodamensis ille Medicus, sacerdotis simul munere fungens, cum haec vatis antiqui verba aedibus inscripsisset suis: *Ich bins, der Gerechtigkeit lehret, und ein Meister zu helffen*. Annon vestrum quisque, quoties cum elogio nomen suum emittit in publicum, hoc ipsum dicit: *Ich bins*? Sed indicta sunto, quae dixi. Nolo namque propria vineta caedere, nec optare, ut proscriptio hujus Charlatanismi iis Academiis frau-

Jesaiae LXIII, 1. Teste August. Pfeiffero in Theol. Medic.

fraudi sit, quae more majorum sumunt pecuniam et mittunt *Doctores Magistrosque* in patriam; maxime cum satis gravibus rationibus Academiae permoveantur ad illam titulorum erogationem continuandam.

Ceterum libet hac occasione de titulorum magnificentia, qua quidam literati, pariter in hunc Charlatanorum ordinem referendi, gaudent, addere nonnulla. Inter hos haud dubie immodestiores sunt, qui semet ipsi magnis exornant titulis: sed nec illi intra modestiae limites consistunt, qui titulos justo majores ab aliis sibi tributos non recusant. Utriusque generis exempla, quae occurrunt, afferam. *Vaninus* principe loco poni meretur, cujus Charlatanismum vix quisquam superavit. Suis enim in *Dialogis* modo *acutissimum Doctorem*, modo *ingeniosissimum Philosophum*, modo *Philosophorum Principem* se appellat. *Nec sane* ( quae *Parkeri* verba sunt, ) *tenui isto Sophista* ( *Vanino* ) *quaevis hominum aetas virum* Disp. I de Deo §. 26. pag. 77. *peperit, qui, tanta de se opinione et scien-*

*scientiae ostentatione*, *minus intellexerit*: Nec modica vanitas proditur isto Epitaphio, quod etiamnum in quodam urbis Patavinae templo visitur: *Paulo de Castro*, *Avo*, *et Angelo*, *Patri Comiti Palat. Utr. Jur. Doctoribus et in orbe Monarchis*, *Nicolaus de Castro*, *Utr. Jur. Doctor*, *Canonicus Paduanus*, *Apost. Cubicul.*
in Actis Erudit. A. 1702 pag. 84. *et Comes Palat. fieri fecit* 1488. Quam inscriptionem cum nescio quis Lipsiensi luce dignam judicasset, recte hanc επικρισιν subjecit: *O quantam voluptatis titillationem sensisse credamus Nicolaum*, *dum Monarchas qualescunque inter suos progenitores numerare potuit*! Recordor opportune ejusdem valoris titulum, quem *Stephano Riccio* in epistolis ad eum datis tribuebat *Thomas Naogeorgus*. Appellabat enim
Hist. Eccles. Orlamund. p. 403. eum *Imperatorem Scholae Salfeldensis*, *Loebero* teste. Sic quis nescit, quam vulgati usus hodie in Italia sit titulus *Viri illustrissimi*, cum olim *Illustris* titulo contenti fuerint potentissimi Francorum Reges? Adi sis *Michaelis Piccarti Observationes historicas*

*cas et politicas*, in quibus singulare deprehendes Caput, quo ambitionem quorundam circa titulos salse exagitat, inter alia his utens verbis: *principes olim* optimos *et* clarissimos *dicere multum erat: At quis hodie contentus illis sit ludimagister?* Pari acrimonia titulorum pompam insectantur *Buchnerus*, Germanos addens prae ceteris gentibus hoc morbi genere laborare. *Solent*, inquit, *Belgae et Galli ridere Germanos, cum legunt talia, nosque hebetioris cujusdam nec satis politi ingenii damnare*. Quam exosa *Jo. Michaeli Bruto* fuerit haec titulorum arrogantia, vel *Baelius* Te docere potest. Eadem *Francisco Hotomanno* mens fuit, qui cum a *Scipione Gentile* rogaretur, *unde Excellentia ipsius advenerit: Quam tu*, inquit, *Excellentiam mihi nominas? Dic potius: Tua miseria, tua calamitas, tuum naufragium*. Hoc ipse *Gentilis* refert in epistola quadam, quae inter epistolas *ad Jo. Hotomannum* et ab eo scriptas, est centesima trigesima quinta. Non adeo his as-

Mabillonius L. II de re Diplom. Decade IV c. 10. Pag. 222.

Libr. I Epist. 126 p. 302.

Diction. v. Brutus Not. H. et I.

sentationibus adversus est clarissimus vir *Thomas Crenius*, qui, cum aliquot abhinc annis eum convenirem, non unas mihi praelegabat literas ad se datas, in quibus *Excellentiae* titulus ipsi tribuebatur. Experiebar et ipse ejus patientiam, an *Excellentiae* titulum aequis auribus excipere ac ferre posset. Ferebat vero fortiter et, ut credo, in sinu sibi applaudebat. Unam adjungo historiolam, cujus ipse pariter testis sum αυτηκοος. Graecus quidam Abbas paucis abhinc annis in quandam delatus Academiam accedebat ad Professorem Theologiae in ordine suo ultimo, mixtisque variis sermonibus cum discessurus erat, rogabat, quonam in ista Academia fungeretur munere. Εγω ειμι, inquiebat ille ipsissimis hisce verbis, ο αρχιδιδασκαλος της θεολογιας.

Charlatanismum quoque redolet, imo foetet, mos eorum, qui tabulas amicorum encomiasticas in fronte librorum suorum suspendunt, istoque praejudicio admirationem lectoris excitare student. Enim vero vino vendi-

dibili non opus esse suspensa hedera, tritum sermone comprobatumque ab omnibus proverbium est. Ridicule vero prorsus faciunt, qui emendicata ista suffragia valere putant ad fidem in re dubia faciendam, adversariisque suis haec testimonia tanquam Medusae caput obvertunt. Quasi vero tam impolitum sit saeculum nostrum, ut nesciat, civilitatis esse, etiam ea, maxime rogatum, magnis efferre laudibus, quae vix mediocri digna esse tecum intus in animo judices. Proinde sapientiae suae documentum dedit *Samuel Werenfelsius*, epigrammatibus, quae amici ipsius *Dissertationibus Theologicis* praefixerant, hoc subjungens ἐπιφώνημα:

*Nemo fidem vestris habebit laudibus:*
*Hic non amicis, nec poetis creditur.*

Huc pertinent ii, qui ex amicorum ad se scriptis epistolis encomia suae eruditionis suorumve librorum publicant. Quam parum enim fidei subsit talibus judiciis, *Baelii*, *Salmasii* et *Buchneri* exemplis probatum legi

in

A. in *Eruditorum Actis*, quae Lipsiae
1714 quot mensibus in lucem emittuntur.
p. 441 et 412. Aliud Charlatanorum genus est eorum, qui libris suis gloriosos, et ad quos vel vadimonium deseras, praefigunt titulos. Nosti, *Philomuse*, fuisse tempus, cum omnis ferme libellus *curiositatis* lenocinio prima statim fronte se commendaret legentibus: nec desunt hodie, quibus eadem fraus pia arridet. Quot libris inscripta est haec formula salutaris: *Liber, omnibus cujusque Facultatis studiosis utilis ac necessarius?* Jam
Lib. XX cap. ult. olim *Gellius* risit eos, qui libros suos inscripserant *Cornu copiae*, *Pandectas*, etc. *Jacobum Gaddium* notat
Polih. L. II cap. 16. *Morhofius*, quod magnificum suis libris titulum imposuerit, *ut solent* (en επικρισιν Morhofianam!) *plerunque esse verborum prodigi, qui rerum*
Lib. IV proleg. v. 5, 6. *sunt parci*. Scilicet *Phaedri* verbis,

*Non semper ea sunt, quae videntur: decipit*
*Frons prima multos*.

cap. cit. Idem *Morhofius* parem *Claudii Verderii* Charlatanismum exagitat. *Is*, in-

inquit, *librum scripsit exiguum magnifico hoc titulo* : Censio autorum omnium veterum et recentiorum. *Quis non de locuplete penu hujus Pantosophistae praeclara omnia et tanti promissoris hiatu digna sibi sponderet? Sed misere ille corvos deludit hiantes.* Alibi *Ludovici Jacobi* Librum *De Bibliothecis* producens cum integro titulo, haec addit: *Magnam hic rem agi crediderís: sed si, quod res est, dicendum, amphoram titulus instituit, liber exit in urceum*. Eodem capite de simili *Gallesii* libro, grandiloquum pariter praeferenti titulum, ita judicat: *Magnos ille titulus strepitus facit: sed pro thesauris carbones.* Idem alio ejusdem libri loco ita scribit: *Aliqui ut docti videantur, inauditos librorum titulos nominumque monstra crepant*. Plura possem addere, sed claudat agmen * Hispanus, qui, vi-

C. XVII.

Cap. IX.

* Hispano jungere liceat Lusitanum, eodem sub Sole calentem, cujus ingens exstat volumen hoc praesi-

vitio suae gentis immodicus aestimator sui, librum hoc titulo insignitum emisit: Πεντηκονταρχος, *sive quinquaginta militum ductor, stipendiis Laurentii Ramirez de Prado * conductus, cujus auspiciis varia in omni literarum ditione monstra profligantur, abdita panduntur, latebrae ac tenebrae pervestigantur et illustrantur.*

Perstringendi mihi sunt et illi Charlatani, qui πολυγλωττιαν jactantes scriptis suis praefigunt compendia scribendi Rabbinica, vel inserunt aliorum verba autorum, Rabbinico, Anglico, Gallico, Hispanico, Syriaco, Arabico (cur non et Utopico at-

signatum elogio: *Elysius jucundarum quaestionum Campus omnium literarum amoenissima varietate refertus, Medicis imprimis, tanquam in quo luxuriantis naturae spectatissimi flores erumpant, et admiranda illius opera contemplentur, maxime delectabilis: Theologis deinde, Juris peritis, et omnium denique bonarum disciplinarum studiosis, Philosophis Philiatris; Philologis, Philomusis summe utilis ac ab omnibus expetitus: Autore* Caspare a Reies Franco, *Illustrissimae Urbis Carmonensis Medico Jurato*.

* Hujus *Ramirezii* circulatoriam δοκησισοφιαν in præsenti libro ostensam graviter exagitat *Gatakerus* Lib. de stylo N. T. c. 23.

atque Sevarambico ? ) sermone **
usorum . Adjungendi his sunt , qui
in allegationibus , quas hodie vocant , modum excedunt , ac , *Baudio*
judice , *hoc unum gloriae choragium* Cent.
*sectantur , ut multos libros evolvisse* I Epist. 83
*videantur* . Jam olim in *Thoma Mes-* p. 138.
*sanensi* id vitii castigavit *Petrarcha* , Lib.
sic ad ipsum scribens : *Animadverti* , IV Epist.
*te in scriptis tuis omni studio , ut ap-* 9. p.
*pareas , niti . Hinc ille discursus per* 148.
*ignota volumina , ut ex singulis aliquid decerpens rebus tuis interseras . Plaudunt tibi disciPuli , et omniscium vocant , innumerabilium autorum nominibus attoniti* . Addit autem , hunc doctis morem minime placere . JCtorum fere proprium esse hoc Charlatanismi genus , in vulgus constat . Nec dubitat *Morhofius* inter eos , qui ineptis allegationibus magnos consti-

V pant

** Huc pertinent quoque, qui in concionibus sacris Graeca et Latina Patrum , Hebraica Rabbinorum , ect. testimonia recitant : vel *propositiones* , quas vocant , Latinas afferunt : quem morem recte notat Benthemius Holl. Stat. P. I. cap. 8. §. 7. p. 260.

pant libros, primum locum tribuere JCtis, *qui* ( inquit ) * *notissima quaeque infinitis testimoniis confirmant*. Addit, ludibrium propterea debuisse JCtos *Paulo Sarpio*: cui adjungerem *Pag. Gaudentium*, nisi consultius esset, Juris consultorum inconsultas allegationes domesticis insectari damnationibus . . Reprehendunt enim hoc moris ipsi JCtorum principes, *Diodorus*, *Tuldenus*, *Leibnitius*, *Thomasius*, *Boineburgius*, cujus de *Tilemanno* JCto sententiam ipsius verbis proferam: *Fuit is vir*, inquit, *utique pereruditus: at pravo sui et aevi et ordinis more tam vanus in alienis dictis citandis et coacervandis est, ut fastidium sui cieat*. Concludam testimonio *Struvii*, qui maximi JCti filius, ipseque JCtus, ita disserit: *JCtis hoc fere proprium videtur, qui scripta sua tot allegatis munire solent, quae*

Obstetr. lit. Diss. III p. 29.

Lib. III. de cogn. sui cap. 3 pag. 275.

In Nova meth. Juris prud. Disp. de Crim. Magiae §. 21.

Ex Actis lit. Struvii T. III. p. 51.

* Pol. Lit. Lib. I. cap. 22. Ubi addit, hoc allegandi cacoethes a Germanicis frequentari potissimum.

*quae tamen plerumque unus ex altero haurit. Pruritus* ( Charlatanismus inquam, ) *hic est sane non laudandus, cujus finis potior hic est, ut quis videatur instructus insigni bibliotheca, et multae lectionis, cum tamen vix centenam quandoque librorum possideat.*

Intro: ad rem lit. c. V § 4 pag. 200 seq.

Volui, *Philomuse*, epistolam scribere. Quare ne liber fiat, paucis cetera Charlatanorum literatorum genera accipe. In hunc censum igitur porro illos refero Philosophos dicam an Sophistas, qui sapientiam suam aenigmatum symbolorumve velamentis involvunt. Sciunt scilicet, verum esse Lucretianum illud:

*Omnia enim stolidi magis admirantur amantque,*
*Inversis quae sub verbis latitantia cernunt.*

Hi aenigmatici scriptores ( ita recte judicat non infimi subsellii philosophus ) arbitrantur, *res inficetissimas, ne dicam falsissimas et maxime flagitiosas, grandium mysteriorum instar aestimatum iri, ubi vocibns ultra communem hominum captum in intelligibili-*

Art. cogit. P. I c. 13 fine.

*bus, amictae peodierint in lucem.* Hae fraude in primis Alchymistae utuntur, de quorum libris merito usurpaveris illud *Plauti: Nisi Sybilla legat, interpretari alium potesse neminem.* Ad hos arcanorum venditatores refer eos, qui commercium cum Genio quodam jactitarunt, uti *Plotinus*, *Porphyrius*, *Brunus*, *Cardanus*, alii. Junge his Caballisticos nugivendulos, e g. *Scalichium*, de quo multa dabit *Morhofius.* Nec omittendi sunt *Scholastici*, terminis suis obscurissimis tanquam ignorantiae involucris totum orbem infatuantes. Scilicet ea est vulgi natura, ut, ubi nihil videt, eo magis spem suam inflet ac maxima sibi bona promittat, nec nisi post damnum et ludibrium suum sapiat. Non possum facere, *Philomuse*, quin hic acceptam ab aliis historiolam Tibi narrem, ut videas, Charlatanicas artes nec infimis quidem hominibus incognitas vel inusitatas esse. Erat in oppidulo quodam bubulcus, homo ultra suam sortem nequam, cui per aliquot annos homines querquera la-

Pseudolo I, 1, 23 seq.

bo-

borantes, feliciter curanti, non contemnendo quaestui erat civium stultitia. Dabat autem aegris, soluta quarta imperialis nummi parte, amuletum ex collo suspendendum, cui inesse aliquid praesentissima praeditum efficacia, serio jactabat. Ac ne fraude prodita lucrum cessaret, vultu ad sanctissimam severitatem composito praedicere solebat, qui ausus esset amuletum profane curiosis manibus resolutum inspicere, eum febri nunquam cariturum, quoad viveret. Tandem denique quidam superstitione vacuus, forte in id oppidum delatus, aperiebat sacrarium istud, in quo nihil offendebat praeter schedulam his incriptam versiculis:

*Der schielende Valten heiss ich,*
*Sechs Groschenkrieg ich, das weiss ich,*
*Ein Zippel-Pelz und ein Filz-Hut,*
*Die sind im Winter vors Kalte gut.*

Proximos his colloco eos, qui vanarum scientiarum doctrinas *Abrahami*, *Hermetis*, *Zoroastris* nomine prae-

scribunt : item , qui per plagium * literarium vel aliud imposturae genus alienae laudis haereditatem cernunt . Notum satis est *ignavum* hoc *pecus* , *fuci* , qui apum depraedant alvearia . Qualis , ut vel unum adducam, erat *Ouzelius* in suis ad *Minucium Felicem* annotationibus . Ejus omnia ſurta singulis paginis et lineis Epist. p. 235. annotaverat in suo exemplari *Paulus Terhaarius* , teste *Boxhornio* .

Charlatani , ut merces suas majoris vendant , ceterorum medicamina contemnunt , et invidiosissimis traducunt nominibus : id quod jam olim proverbio locum fecit : *Medicus medico invidet* . Quis jam dubitet literatos illos vocare Charlatanos , qui eundem morem sua in arte sequuntur ? Merito hic sisto *Aristotelem* , qui

* Talem plagiarium scite describit *Themistius Orat: I. pag. 24. edit. Donzellini*, hunc in modum , quod aliena cum ab altero didicerit et paululum immutarit , tanquam Autolycus ſurta , ea secum circumferat , jactans se atque ostentans apud eos , quibus eorum autor et inventor est ignotus .

qui gloriae studio, quosvis alios Philosophos despicatui habebat, ratus, *se regnare haud tuto posse, nisi more Ottomanorum fratres suos omnes contrucidasset*. An *Democritus* quoque Charlatanismi sive circumforaneae vanitatis reus sit, qui suum jactasse dicitur pharmacum, quo pulchri, fortunati, prudentes et docti efficiantur homines, alii viderint. *Paracelsi* vero illius vanitas nimis in aprico est, qui minimo suo in digito plus dictitabat inesse scientiae medicae, quam in toto Hippocrate et Galeno. Huc eos refero, qui magnis, et illustri laude conspicuis viris bellum inferunt, Alexandri exemplo credentis, *magnitudinem suam clariorem fore, quo majores fuissent, quos ipse vicisset*: multoque majori jure eos, qui aliis doctoribus exitialis erroris (*haeresin* vocant,) infamiam adspergere gestiunt. Memini, me olim videre librum nescio cujus Theologi ita inscriptum: *Absurda absurdorum absurdissima, Calvinistica absurda*. Vidi alium librum JCti,

Verulamius Lib. III de augm. scient. cap. 4 pag. 166.

Curtius.

cujus pariter nomen non succurrit, qui *Millenarios errorum* in fronte praeferebat. Adjungo Medicum, *Jo. Freitagium*, cujus exstat *Detectio et refutatio novae sectae Sennerto-Paracelsicae*. Ipsum *Hieronymnm* his darem socium et collegam, nisi ejus inter Divos relati autoritas plus ponderis apud me haberet, quam criminationes *Clerici*.

In *Diss.* de argum. Theologico ab invidia ducto. Nec parum Charlatanismi inest in plerisque Disputationibus Academicis. Fere enim, qui cathedram conscendunt, publice demonstratum eunt, sese invictos esse gladiatores: posteaque quam inani verborum strepitu duas tresve horas auditoribus suffurati sunt, triumphantium ritu museum repetunt, et solennes amicorum congratulationes exspectant: imo saepe ante victoriam triumphum canere jubent amicos, quorum ἐπινίκια Disputationibus associant. Quam acri sale hunc morem perfricent *Caselius* atque *Morhofius*, alibi legas licet. Illustrius Charlatanismi hujus exemplum non succurrit, quam *Jo. Pici*, Mi-

Morhof. Pol. L. II c. XI § 15 et 16.

Mirandulani Comitis, qui ( ut ipse *Jo. Franciscus Picus* fatetur), *humanae laudis et gloriae cupidus*, et ingenium *ostentare* cupiens, Romam evocavit omnium gentium atque ordinum literatos, de thesibus nongentis secum disputaturos. Caruit res successu. Ceterum satis scio, a Davide quodam hunc Goliathum prosterni potuisse. Adeo inepta multa et falsa insunt in illis thesibus. Memoratu nec indignus est *Franciscus Macedo*, de cujus Charlatanismo disputatorio haud pauca tibi ridenda propinabunt *Morhofius* ac *Baelius*. Exstat contra *Macedonem* illum exasciatissima Satyra summi viri *Henrici Norisii*, Amstelodami A. 1709. sub hoc titulo recusa: *Thraso, seu miles Macedonicus Plautino sale perfrictus*. L. I Pol. lit. c. 22. Diction. v. *Macedo*.

Ab Academico Charlatanismo ordo me deducit ad Scholasticum. Scholastici enim doctores *tanquam piscatores eam imponunt hamis escam, quam sciunt appetituros esse pisciculos*, ( id est, discipulorum parentes, ) *alias sine spe praedae moraturi in scopulo*. Agno-

Agnosces verba Petronii, qui in Satyrico suo libello satis id genus hominum depexum dedit. Neque vero unquam hi tales desiderabuntur, quamdiu non intermorietur spes lucri. Quot enim quotidie propemodum videmus Programmata Scholastica, in quibus imberbes oratores (perinde quasi arduo huic muneri pueri sufficerent, ) non solum producuntur, sed tantis laudibus onerantur verius quam ornantur, vix ut quicquam ad perfectam eruditionem deesse credas hisce discipulis, ex quorum inviden-dis scilicet profectibus metientur (si nimirum sapiunt) lectores magistri magnitudinem. Illud vero obscoenius multo, quam Charlatanismi, nomen meretur, cum iidem umbratici doctores discipulos jubent publice declamare Graeco, Syriaco, Hebraicove sermone, et oratoribus et auditoribus ignoto. Sed profecto *omne ignotum pro magnifico est*, adeoque nunquam desunt, qui talibus et magistris et discipulis frigidam stultae admirationis et assentationis suffundant,

Tacitus Agric. XXX, 4.

dant,

dant, et in societatem insaniae veniant. Pertinet huc jactatio omnipotentiae, ut ita loquar, oratoriae, quorum Thrasonum familiam ducit *Gorgias* ille *Leontinus*, jam *Menckenio* notatus.

Non sunt praetereundi gloriosi promissores librorum edendorum, quorum cum integri catalogi prostent, unum tantummodo * adducam *Andream Mullerum Greifenhagium*, qui intimam linguae Sinicae peritiam jactitabat, ejusque *Clavem* magno promittebat hiatu, sed, ut eventus docuit *Jobum Ludolfum* **, eam tenebat juxta cum ignarissimis, adeoque *magna minatus extricavit nihil*. Phaedr. V, 22, 4.

Tandem illi Charlatanismi se reos faciunt, qui in Academiis, quando di-

* Non plane praetermittendus, saltim in margine laudandus erat *Quirinus* ille *Kuhlmannus*, cujus impudentiam in promittendis vastissimis operibus mirari cogetur, quisquis vel Morhofium evolverit Pol. Lit. lib. II. cap. 5.

** Hujus duas lectu jucundissimas hac de re epistolas exhibet Struvius Act. lit. T. VI. pag. 47. 51.

disciplinam aliquam docere aggrediuntur, in praefatione solenniter praemissa mirificis elogiis suam celebrant Helenam, scilicet ut ceterae disciplinae ad hanc nihil esse videantur, et auditorum vel potius emtorum augeatur numerus. Eadem chorda oberrant Criticorum permulti, qui solos artis criticae peritos *eruditos* vocant, ceteros tanquam umbras contemnunt. Idem Charlatanismus in quibusdam Mathematicis deprehenditur, meliora docendis a *Clerico*. Horum Princeps *Archimedes* non leve Charlatanismi specimen edidit, cum ab Hierone Rege peteret, ut locum sibi quempiam extra has mortalium sedes daret, se tunc artis suae viribus totum terrarum orbem suo loco moturum esse.

Vid. Poiretus Lib. de erud. falsa § 63.

Logic. P. III c. 3 § 13 14, 15.

Ohe! jam satis est, *Philomuse*. Unum adjicio, quod ex recenti orationis *pro lege Manilia* lectione adhuc memini: *Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fecerit. Ego autem neminem nomino. Quare irasci nemo poterit,*

CXIII.

*nisi*

*niſi qui ante de ſe voluerit confiteri*. Accipe et illud Poetae uno verbo mutatum, nec Tibi tamen, sed Charlatano neſcio cui, dictum: Lib. IV Triſt. Eleg. 4 v. 7 seq.

*Quod minime volui, poſitis pro nomine ſignis*
*Dictus es. Ignoſcas laudibus ipſe tuis.*
*Nil ego peccavi: tua te mala cognita produnt.*
*Si, quod es, appares, culpa ſoluta mea eſt.*

Vale, *Philomuse*, ac salve! Scrib. Cal. Sept. A. C. 1715.

PRO-

# PROGRAMMA DECLAMATIONI

## PRIMÆ PRÆMISSUM.

### DE

## APPLAUSU ERUDITORUM.

JAm pridem Eruditis observatum est plausum et acclamationes e theatro in scholas atque auditoria migrasse, et Rhetores olim Sophistasque ac Declamatores coenis sportulisque datis plausum redemisse, domique aluisse acclamantium et plaudentium chorum, qui dicturo aut recitaturo ſemper adesset, prodeuntem comitaretur, et in ipsa etiam deductione acclamaret; imo et magnificas potentiorum aedes conduxisse et numerosa posuisse subsellia, quo major alliceretur auditorum numerus; qua de re Viri omnium confessione do-

doctissimi, Ludovicus Cresollius *a* et Franciscus Bernardinus Ferrarius *b*, perreleganter atque erudite commentati sunt, ut taceam Josephum Laurentium, libelli perexigui *c* autorem haud prorsus contemnendum. Enimvero non minori hodie cura atque sollicitudine Eruditi de plausu sibi conciliando laborant, eoque artibus propemodum utuntur iisdem, quas mimi atque histriones in theatris ad concitandos populi plausus et cachinnos adhibere consueverunt. De qua captatione plausus, quam uno, quanquam barbaro, vocabulo *Charlatanериam* Eruditorum dixeris, quum in ipsa Magistrorum Panegyri proxime verba facturus sim, nunc tantum Programmatis loco quaedam de iis paefari constitui, qui miro quodam ac insolito Auditorum applausu sive in praelectionibus sive declamationibus gavisi sunt. Et ut veteres praetermittam, ut THEOPHRASTUM Eresium, apud Laertium, aliosque, qui ultra bis vel quater mille auditores habuere, primus quidem hic

oc-

*a* Theatr. Rhet. L. III. C. 20.
*b*. De veterum Acclam. et plausu L. III.
*c* De Acclamationibus ap. Gronov. Thes. Gr. T. VIII. Conf. et Gaudentii Obstetrix Litter. p. 70.

occurrit PETRUS ABÆLARDUS, qui quum in ea incidisset tempora, quibus sordebant bonae literae spissisimisque tenebris obvolvebantur, auditores nactus est prope innumeros, qui non ex Gallia tantum universa, verum et Hispania, Italia, Germania, Belgio ac Britannia certatim ad illum convolabant, et rusticationis causa Lutetia emigrantem tanta frequentia comitabantur, ut si ipsi credimus *d*, *nec locus hospitiis, nec terra sufficeret alimentis*. Nec minor postea PETRI RAMI applausus fuit, qui cum Aristotelicos fortissime oppugnasset, clarissimae sectae, quam plurimi inde, in Germania inprimis, Angliaque et Scotia, secuti sunt, autor exstitit. Is vero, cum aliquando contra Carpentarium vehementius excanduisset, *ubi sunt*, inquiebat, *illa tempora, ubi duo millia hominum, qui Ramum volentes audire, non potuerunt? e* Circa eadem tempora florebat in Italia lepidissimum JOANNIS ANTONII CAMPANI ingenium, qui vir quanto hominum concur-

*d* Operum p. 19. Conf. Bayle Dict. Cr. tit. *Foulques*

*e* Naudée dans le Mascurat p. 111.

curſu Peruſiae, cum primum ſcholas aperiret, declamaverit horas tres, ex ejuſdem Epiſtolis a nobis editis jucundiſſime patet. Ita enim, ut alia nunc praetermittamus, loquitur *f*: *XII. Kal. Novembris orationem habui apud Peruſinos longe glorioſiſſimam. Aderat Beneventanus Antiſtes urbis; aderant et JCti octo et quadraginta: quid tibi dicam Medicos, Grammaticos, Oratores paene innumerabiles? quales ſunt Oratores hodie, ſi ſolum non barbare illatineque loquantur. Praeterea hominum pluſquam tria millia, qui ad me, de quo aliqua praeceſſerat exſpectatio, audiendum convenerant frequentia incredibili*. Et paulo infra: *Effeci, ut totum triduum ingens quidam in civitate ſtupor ac tumultus eſſe videretur, omnes me loquebantur, digitis me, quocunque irem, oſtendebant*. Quin et teſtatur Michael Fernus in Vita Campani *g*, Guidum Grammaticum ex eo tempore Peruſiae publice docere haud auſum. Quanta et Florentiae eadem aetate FRANCISCI PHILELPHI fuerit

*f* L. II Epiſt. I p. 50 ed. noſtrae.

*g* Operibus Ven. 1502. f. editis praemiſſa.

X exi-

existimatio, ipse alicubi *h* gloriosius praedicat, ubi non tantum ipsas nobilissimas foeminas honorandi sui gratia via cedere sibi, verum et auditores esse quotidie quadringentos et amplius, et hos quidem magna ex parte viros grandiores et Senatores, testatur. De JANO PARRHASIO referunt, eum tanto Mediolani plausu docuisse, ut inter juvenes Auditores Senex Trivultivs (1), summi

*h* Lib. II. Epist. 2.

(1) *Senex Trivultius* ) Huc pertinet, quod de M. Musuro Erasmus testatur L. I Ep. 23. ubi de Raph. Regio loquutus, pergit: *Erat tum, ut opinor, non minor annis LXX.* ( Regius scil. ) *et tamen nulla hyems fuit tam aspera, quin ille mane hora septima adiret M. Musurum Graece profitentem, qui toto anno vix quatuor intermittebat horas, quin publice profiteretur.* Et Theodorum Bezam coram XX: aut XXX. millibus auditorum verba facere solitum fuisse, ex Epistola anecdota probamus, quam anno sexagesimo secundo seculi XVI. Car. Clusius Antw. ad Cratonem, trium Imperatorum Archiatrum, Lutetia misit, et ex qua haec transcribimus; *Religionis negotium, tametsi Satanas, quantum possit, impedire conetur, satis belle procedit; conveniunt enim singulis diebus ad XX. vel XXX. hominum millia, ad verbum DEI audiendum, quibus Dn. Theod. Beza concionatur, nonnunquam Franc. Parucellus.* Them.

mi nominis et autoritatis Imperator, conspiceretur *i*. Et scribit de se ipso ANGELUS POLITIANVS *k*; cum Catullum forte Veronae in officina quadam, Viris nonnullis Literatis paene cogentibus, explicaret, non minus multos spectata doctrina Viros, quam magnam scholasticorum manum pronis auribus cuncta accepisse ac identidem clamasse: *demissum coelitus Angelum* (1) *sibi, qui*

X 2 Poe-

*i* Jac. Gaddius Script. non Eccl. T. II. p. 18.

*k* in Miscell. c. 19.

(1) *Demissum coelitus Angelum* ) Artes, quibus Angelus ille Bassus, a Patria Politianus, in parando auditorum plausu usus est, egregie tradit Franc. Duarenus, ad Fr. Balduinum scribens, pag. 1478. Operum Editionis 1484: *Non possum*, inquit, *mihi temperare, quin tibi nunc referam, quod Budaeus noster de Angelo Politiano quondam nobis domi suae narrare solebat, idque se ex Jano Lascare, qui Politiani fuerat aequalis, crebro audiisse confirmabat. Cum enim Politianus Florentiae Interpretationem Homericae Iliados in magna celebritate aggrederetur; non sine ingenti ostentatione, quae de Homeri Poemate perscripta sunt ab Herodoto, auditoribus suis e suo genio recitabat, quo tempore Herodoti liber Graece scriptus, a nullo adhuc conversus in linguam Latinam, nec Typographorum formis excusus erat. Itaque Lascaris, qui tum honoris causa auditorum numerum augebat, cum paucis quibusdam aliis Graece doctis hominibus, qui non ignorarent, unde omnia, quae pro suis recitaverat, hausisset, is* igi-

*Poetam conterraneum interpretaretur.* His proximus JULIUS POMPONIUS LÆTUS fuit, Vir Latini sermonis ac veteris historiae gloria illustrissimus, qui etsi in familiari consuetudine haesitante lingua balbutire solitus est *l*, tanta tamen eloquentia tamque expedite ac venuste e suggestu ad cupidam juventutem verba fecit, ut auditores a media nocte ad praeoccupanda subsellia in auditorium concurrerent *m*. Quod idem ferme de summo Theologo JOANNE MAL-DO-

*l* Paul. Jov. Elog.

*m* Vigneul Mar-

*igitur paulo post ad hominem conversus, eumque seducens, Dic mihi quaeso, inquit, Politiane, quo ore Herodoti opus insigne, quod ante tot secula conscriptum est, in tanto coetu, ut tuum recitastis. Cui mox subridens Politianus, Nunquam, inquit, putassem sane hominem Graecum adeo ejus artificii rudem & ignarum esse, quo apud multitudinem existimatio et fama comparari solet. Quasi vero, inquit; non satis intelligam, tres aut summum quatuor fortassis vos hic adesse, quibus Herodoti libros aliquando inspicere contigerit. Sed quaenam hic sit turba nobis applaudentium et in coelum laudibus ferentium, vides, apud quos si existimationem nostram (quod minime spero) vel tantillum laedere volueritis, oratio profecto vestra non multum fidei ponderisque habitura est.* Hucusque Duarenus apud Colomesium κειμηλ. Litter. c. 31. pag. Opp. 304.

**Thém.**

DONATO testantur scriptores, qui duabus quotidie tribusve horis certatim discipulos subsellia occupasse prius, tradunt, quam ille ludum ingrederetur, saepeque eum in aperto atque adeo in viis publicis docere coactum esse, ob multitudinem auditorum, quos nullae exhedrae capiebant *n*. Quemadmodum vero Maldonatus inter Theologos, ita inter Jureconsultos illa aetate JACOBUS CUJACIUS, quem per eminentiam *Jureconsultum* appellatum fuisse Thuanus autor est, incredibili nationum omnium concursu *o* docuit, ac id imprimis impetravit, ut in tanto Auditorum numero nemo vel minimum obstrepere ausus fuerit *p*. Spectatque huc, quod Menagius refert, Cujacium, cum Maldonatum, qui prior illum inviserat, resalutaret, *corona octingentorum juvenum stipatum q* processisse, quos nunquam non auditores habuerit. Sed non inferior Cujacio fuit ANDREAS ALCIATUS, qui in Epistola ad Calvum ita loquitur: *Octingentis et eo amplius*

ville Mel. d'Hist. et de Litt. T. I. p. 126.

*n* Anton. Bibl. Hisp. Nov. T. I p. 558. et Teissier Add. aux Elog. de Thou. T. III. p. 203.

*o* Toll. de infel Lit. in nostris Anal. p. 474.

*p* Scaligeran. 2.

*q* *A la tête de 800. ecoliers.* v. Mena-

*us auditoribus profiteor; atque in his cum Episcopi, tum Abbates, Comites aliique proceres sunt, sed et de remotissimis nationibus quam plurimi, qui ob solius Alciati nomen confluxerunt.* qq. Ita prorsus de FRANCISCO BALDUINO, doctissimo JCto, refert Sammarthanus r, testis oculatus, quod saepe eum viderit Lutetiae profitentem, *cum ad ejus auditorium permulti primae notae homines, Episcopi, Senatores, Equites libenter et maxima frequentia confluerent*. Et ut taceam JOANNEM CORRESIUM s, quem Tolosae jura profitentem quater mille juvenes studiosos audivisse ferunt, reliquis haud immerito subjungimus HIERONYMUM BUCCAFERRUM, Juris in Italia decus, de quo juvat audire Erythreum t: *Duos et quadraginta annos, quibus jus civile docuit, tanti ad eum concursus fiebant, ut non modo locus in subselliis mature occuparetur, verum etiam schola, atque adeo ambulacrum scholae adjunctum, auditorum frequentia compleretur: tantum a corona silentium fie-*

giana Vol. 1. p. 13.

qq Epist. doct. Vir. e Bibl. Gud. Ep. 3. p. 78.

r Elog. L. II. p. 101.

s Cl. Weis. de fatis Er. in aula c. 1. §. 5.

t Pinac. n. 45.

*fiebat, ut nemo ne mutire quidem auderet; tam multae assensiones, tam crebrae admirationes oriebantur, ut qui procul adspexisset, summum esse in schola magistrum et tanquam in scena Roscium intelligeret etc.* Verum nemo auditorum numero superavit AZONEM Bononiensem, cujus, pristina jura primum revocantis *celebritas ex omnibus Italiae regionibus excibat auditores; itaut Bononiam attraxerit juvenum fere decem millia*, ut loquitur elegantissimus J. V. Gravina *u*. Nec Medici exemplum deest; JACOBI SYLVII, qui cum ne gradum quidem Doctoris obtinuisset, in ipsa tamen Parisiensi Academia tanto plausu docebat, ut de illo J. Vaevraeus *x* caneret:

*u* De ortu et progr. Jur. Lib. I n. 151. p. 180.

*x* ap. Morell. in vita Sylvii.

*Quem certa methodo medicis de rebus agentem*
*Assidue in ludo totius principe terrae,*
*Mille acri assidue spectabant lumina visu;*

Quanquam ipse tantummodo *auditores* numeravit *circiter quadringentos y*. Cui forte adjungi posset CAROLUS PA-

*y* Praef. libri de Ossibus.

PATINUS qui cum juvenis admodum cadaver foemininum cultro Anatomico subjecisset, maximo applausu gavisus est; id quod de illo pater Guido *z* his verbis testatur: *il a un si grand nombre d'Auditeurs, qu'outre le theatre, la cour est encore toute pleine*. Et quoniam hactenus de Gallis, tantum Italisve dictum est, e Germanis nunc producamus PHILIPPUM MELANCHTHONEM, quem auditores interdum mille quingentos habuisse tradunt *aa*. Neque incommode huc referas, quae de illo refert Jacobus Vereiden *bb*: *Tantus*, inquit, *studiosorum hic concursus atque frequentia: tanta Ministrorum Ecclesiae et Ludimagistrorum multitudo ex una Melanchthonis schola progressa, ut amplissima Germania vicinaeque regiones doctos piosque ministros ac praeceptores, beneficio Melanchthonis, passim suis in locis habuerit, ita ut non immerito ministrorum praeceptorumque Pater dictus sit*. Ita JOHANNES REUCHLINUS, vulgo CAPNIO, qui in-

*z* l'Esprit de Guy P. 57.

*aa* Konig in Bibl. p. 527.

*bb* Praestant. Theol. Effig. et Elog. p. 29.

inter Melanchthonis familiares praecipuus fuit, in Epistola ad Jo. Secerium *cc* fortunam suam praedicat, dum esse sibi scribit in Scholis Graecis et Hebraicis quotidie auditores prope quadringentos, numerumque augeri in dies. His addi possent multo plures, ut Eobanus Hessus, aliique, etiam recentiores, qui plausum ut meruerunt, ita nacti sunt longe maximum. Quibus adjungi hoc loco illi etiam possent, qui cum omnium primi plausum meruissent, illo tamen ita destituti sunt, ut, qua hora discipulorum multitudini doctrinae praecepta tradenda erant, a corona derelicti ante scholae ostium cum uno aut altero obambularent; id quod de Aldo Manutio disertis verbis testatur Erythraeus. Cui Paulum Benium, Julium Pacium JC. ipsumque Lipsium, Puteanum aliosque addere possemus; nisi ad id nunc propius accedendum esset, cujus causa haec praemisimus. Nimirum producimus Viros juvenes, doctrina et moribus admodum excultos XXXIV., quibus, cum

*cc* Praemissa est *Xenophontis Apologiae Socratis* Gr. Hagen. 1520., 4 a Sacerio editae.

cum hactenus in examinibus studia litterarum nobis probaverint maxime, Bonarum Artium et Philosophiae Magistri titulum, jura et honores, autoritate ac jussu Serenissimi hujus Academiae Cancellarii, tum et spectatissimi Procancellarii, impertire constituimus.

Itaque ut publicam hanc Panegyrin, ad diem proximum IX Febr. celebrandam, sua praesentia illustriorem reddere non graventur, Rectorem Academiae Magnificum, Comites Illustrissimos ac utriusque Reipublicae Proceres et Cives ea qua par est observantia rogamus atque invitamus. Dab. Lipsiae Dom. V post Epiph. MDCCXIII.

## PROGRAMMA DECLAMATIONI SECUNDÆ PRÆMISSUM.

DE

## DIGNITATE MAGISTRI, PRÆSERTIM LIPSIENSIS.

DUm ad capessendos supremos in Philosophia honores juveniles animos erigere atque incitare constituimus, id agendum nobis videtur, ut nec eorum probemus timiditatem, qui perpetuo ad pedem Heliconis haerentes dignitates omnes fastidiunt, et fastum reprimamus illorum, qui ad splendidos Magisterii titulos non secus atque ad tiaram vel diadema rapiuntur. Etenim si primam vocis in Romana Republica consuetudinem contueamur, principes ex omni ordine viros Magistros appellatos fuisse deprehendimus. Habebant Romani *Magistrum Officiorum*, quem sequiori atque ipsa Caroli M. aetate *Magistrum aulae Imperialis*, et hoc tem-

tempore in aula Rom. Pontificis *Magistrum Sacri Palatii* dictum; novimus: *Magistrum Scriniorum*, qui *Magistros Memoriae*, *Libellorum*, *Epistolarum*, *Dispositionum* complectebatur: *Magistrum Archivi*, cui *Archeota* successit: *Magistrum Admissionum*, quem *Ostiariorum* postea dixere. Quid reseram *Magistrum Populi*, seu *Dictatorem*, *Magistrum* porro *curiae*, *census*, *societatis*, *pagorum*, aut *vicorum*, seu *Vico-magistrum*, tum in re sacra *Magistrum Collegii Augurum*, *Larum*, *Saliorum*, *Fani*, denique *Magistros militiae*, *navium*, *armorum*, *equitum peditumve*? Quin et *Magister* erat *plausus*, qui Musicam ordinabat, et *Magister bibendi*, qui leges ferebat bibiturientibus, ut alios taceam longe plures. Transiit inde nomen ad scholas, primaque Parisiensis Academia *Magistros* habuit *Scholarum*, quorum Princeps *Magistri Maximi* elogio superbiebat. Non memorabo eos, qui *Magistri* nomine in re literaria fuere illustres, *Magistrum Sententiarum* Lombardum, *Ma-*

*gi-*

*giſtrum Decretorum* Gratianum, *Magiſtrum Hiſtoriae Scholaſticae* Petrum Comeſtorem, tum et Graecos, Thomam *Magiſtrum*, Simeonem *Magiſtrum* Logothetam, alioſque; illud mihi praecipue viſum eſt memoria dignum, quod tanta olim Seculo XII in univerſa Gallia *Magiſtri* fuit exiſtimatio, ut nemo ad ſuprema in Eccleſia et Republica munia admitti poſſet, qui *Magiſtri* honores non eſſet conſecutus, ipſique Cardinales et potentiſſimi in curia Regia viri titulum hunc ceteris omnibus anteponerent, quod diſerte docet doctiſſimus Bulaeus in *Hiſt. Acad. Paris. T. II p.* 369. Atque id et alibi eveniſſe obſervamus, quoties ipſe Princeps amaret bonas literas, quod Anglorum imprimis Annales teſtantur. Ita Jacobo I imperante, Magnae Britanniae Rege, quem ob ſingularem in ſtudia ardorem Henricus IV Galliae Rex *Magiſtri* (*Monſ. le Maitre Jacques*) elogio compellare conſueverat, nemo erat paulo in aula ſpectatior,

quin publico ac solenni ritu *Magisterii* honores capesseret ; et quo quis fortius sub Carolo I in obsidione Oxoniensi causam optimi Principis tuebatur , ( pugnabant vero certatim pro Rege studiosi juvenes) hoc promtius consequebatur *Magistri* , vel Doctoris titulos ac privilegia , scilicet ne laurea deesset in utroque campo, Martis et Apollinis, strenue decertantibus . Equidem et fuere tempora , cum perexigua haberetur Magistrorum ratio , sive quod Magistelli immenso numero veluti fungi una nocte propullularent , sive quod optimarum literarum amor barbaris et obscuris seculis refrigesceret . Nam et Michael Montanus suo tempore idem fuisse narrat *Magistri* atque *Paedantae* cognomen , teste Hubero *Or. X* , et, si Naudaeo credimus , in Dial. *Mascurat. p.* 6 , spectatur Romae epitaphium , cujus haec inscriptio:

*Hic jacet Jodocus ,*
*Qui fuit Romae coquus ,*
*Magister in artibus*
*Et Doctor in partibus;*

*De*

*De gratia speciali*
*Mortuus in Hospitali.*

Atque ita fit utique, ut nihil sit tam eximium, nihil tam laudabile ac gloriosum, quod, ubi abusus accesserit, derisioni haud exponatur ac despectui. Nostra certe Academia eam hactenus ab aequis rerum arbitris ipsisque adeo exteris laudem obtinuit praecipuam, quod bardos, stupidosque ac inficetos et vervecum e patria natos a summis honorum titulis longissime arceat, iique demum docti probi literisque perpoliti et subacti vulgo censeantur, qui ex alma Lipsiensi Academia lauream deportarunt. Quodsi vero et jura atque privilegia, quae nostris competunt Magistris, perpenderè paulo diligentius velimus: nullam omnino esse Academiam, quae cum nostra componi penitus queat, vix erit quisquam qui dubitare ausit. Non urgebo nunc illud, quod *Rex Potentissimus* ceterique Academiae *Nutritii clementissimi* Literarum, quae ad Academiam mittuntur, inscriptionibus

( *dem*

( *dem* Rectori , Magistris *und* Doctoribus *der Univers. Leipz.* etc. ) Doctores Magistris postponant, quod olim et a Carolo V. factum fuisse, apud Goldastum in *Const. Imp. p.* 245. legimus. Id enim ex eo ortum constat, quod superioribus seculis, qui supremum in Theologia gradum consecuti essent, Magistri potius Theologiae, quam Doctores appellarentur. Idemque in Jure etiam ac Medicina antiquissimis temporibus obtinuisse proclive est, quandoquidem Seculo demum XIII. Doctoris vocem auditam fuisse, observarunt Viri eruditi. Quamprimum itaque, ut reliqua persequamur, Magister fueris salutatus, nullis tibi ambagibus utendum, nec quod, fit alibi, a praeceptore in cathedram inferiorem deducendus es:, suprema patet; neque enim decorum est ex hac ipsa, quam jam semel superaveras, rursus ad infima descendere, ut loquuntur leges nostrae; atque ita sumtuum quoque compendium facies. Cum probe depugnaveris, nulla ad do-

docendum indulgentia opus habes; utere jure tuo, et ad scholas Philosophicas publice invita juvenes studiosos: nam et lubens volensque Decanus Facultatis nostrae, et gratis, calculum apponet. Licebit vero philosophari libere: dudum enim a nobis exulavit lex crudelis jurandi in verba Magistri; id caveas tantum, ne aut rationem aut sanctam religionem laedas; nugivendulis enim et obscoenis Divini Numinis contemptoribus nullum in Philuraea praesidium. Patet hinc aditus ad sacros Patrum consessus; quoties vel Rector eligitur Academiae Magnificus, vel Canonicus, vel Syndicus, vel Decemvir, vel Senior, vel Assessor Concilii, non erit minoris ponderis suffragium tuum, etiamsi infimum locum tuearis, quam vel Primicerii, vel Secundicerii, aut cujuscunque e Decemprimis, ut vocabulis utar scholae veteris. Deinde habes paratam ad honores et praemia viam: nam ubi bina disputatione dignum te praestiteris, adlegeris in consortium Assessorum

Facultatis Philosophicae, tumque et locus tibi patebit inter Quatuorviros in Concilio perpetuo, quo tota regitur Universitas, quem honorem tanti habitum fuise a Viris haud obesae naris meminimus, ut quamvis alibi summis muneribus praefecti, adduci tamen haud potuerint, ut titulum *Assessoris Concilii Lipsiensis Perp.* abiicerent. Et quotusquisque ignorat, saepissime Magistros nostros spectatissimis ex omni ordine, etiam Professorio, Viris insuper habitis, in Collegiatorum numerum adscitos, eoque illorum rei familiari pulcre fuisse prospectum. Enimvero haec ita comparata sunt, ut facile allicere possint Viros juvenes ingenuos, doctos, probos, diligentes, quibus de meliori luto finxit praecordia Titan. Nam cum *Princeps Serenissimus, Dominus, Dn. MAURITIUS WILHELMUS, Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae et Westphaliae, Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, ut et Su-*

*Superioris ac Inferioris Lusatiae*, *Comes Principali dignitate Hennebergicus*, *Comes de Marca et Ravensberg*, *Dominus in Ravenstein*, Academiae nostrae *Cancellarius*, munus Procancellarii nuper mihi demandaverit, eoque sub auspicium Februarii anni proxime instantis distribuendi a me sint supremi in Philosophia honores, eos tantum hoc programmate publico invitamus, qui literis, ut par est, sedulo incubuerunt, suaque studia ac doctrinam Examinatoribus probabunt, ceteros vero, qui crudis studiis praemia deberi autumant, serio obtestamur, ne sacros cancellos irrumpere et repulsae periculum facere audeant. Valete. Dabam Lipsiae Domin. I Advent. MDCCXIV.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2016131

Digitized by Google